D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG

ORD. MED. IN ACAD. LIPS. DECANI

INSTITVTIONES MEDICINAE FORENSIS PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS ACCOMMODATAE.



LIPSIAE

IN OFFICINA LIBRARIA GLEDITSCHIANA,

MDCCLXV.

COMMILITONIBVS HVMANISSIMIS

S.

Tertiam medicinae practicae partem, medicinam forensem, lectionibus academicis accommodatam, Vobis nunc exhibeo. In quo si cogitem, medicae scholae Lipsiensis eam semper laudem fuisse, quod haec doctrinae medicae pars in ea maxime coleretur, facile intelligo, me post tot aliorum operam pauca addidisse. Si enim, praetermissis aliis scholae nostrae professoribus, WELSCHII, AMMANNI, BOHNII et HEBENSTREITII celeberrima nomina enarro, satis perspicietis, ab iis iam multa exposita esse, quae sola, non consultis exterorum libris, amplioris libelli ma-

teriam dediſſent. Sed cum pro ratione inſtituti noſtri is ſelectus rerum quaerendus eſſet, ex quo primaria doctrinae noſtrae capita diiudicari, et in praelectionibus tradi poſſent, omnino ſpero, ea, quae paucis his plagulis propoſui, huic conſilio ſatisfactura eſſe.

Iurisprudentiae enim cultoribus tantum oſtendendum eſt, quae conſilia medici in rebus, ad rempublicam dirigendam pertinentibus, exhibeant, et quomodo quaeſtiones iuris controuerſas ex medico phyſicis principiis dirimant: Medicinae vero ſtudioſi inſtruendi ſunt, quomodo praemiſſas reliquas medico phyſicas doctrinas ad medicinae forenſis vſum transferre, et inde concluſiones ducere debeant.

Vti vero in omnibus ſcriptis, quae fundamenta diſciplinarum iaciunt, multa dubia occurrunt, quae controuerſiis occaſionem praebent, ſic in hac parte haud pauca fuiſſent, quae amplius examen et collationem diſſentientium opinionum exegiſſent. Cum autem perſpicerem, in primis diſciplinae cuiusdam lineis ducendis controuerſias agitatas magis confundere diſcentes, quam inſtruere, id ſemper agere anniſus ſum, vt, dubitationibus indicatis, deciſiones, quas collegium Medicorum Lipſienſium ſaepius expendit, rationibus adductis breuiter proponerem, quo et iuris periti, qui

qui in foro horum vſum cognoſcunt, normam haberent, ad quam rerum diſquiſitionem inſtituerent.

Finem itaque laborum meorum attigiſſe mihi videor, cum libellos exarauerim omnibus medicinae partibus accommodatos. Sed in ipſis his explicandis quotidie experior, quam multa polienda et perficienda reſtent, ſi ad genuinam inſtitutionem doctrina noſtra omnino vtilis eſſe debeat. Satis enim cognoſcitis, Optimi Commilitones, quoties nonnulla occurrant, ſi non prorſus immutanda, accuratius tamen definienda; ſi quidem doctrinae ratio eiusque fundamenta Veſtris animis bene imprimenda ſunt, quo, quantum fieri poteſt, ab incertis hypotheſibus reuocati, et ad verum artis exercitium praeparati, ex ſcholis noſtris recedatis. Hanc igitur doctrinae perfectionem, ſi vitam et vires conceſſerit ſummum numen, in omnibus a me proponendis diſciplinis omni cura aſſequi, et inpoſterum allaborabo.

Quamobrem, antequam emendatam editionem libellorum a me editorum ſuſcipio, meditor libellum, mole paruum, ſed ſummae vtilitatis, qui methodum doctrinae medicae vniuerſae tradet, nec tantum nexum omnium diſciplinarum medicarum, vt eum in introductione ad vniuerſam medicinam Vobis olim propoſui, declara-

clarabit, ſed ſimul modum oſtendet, quo medicus, abſoluto ſtudiorum academicorum curſu, Inuentoris, Profeſſoris et Medici practici officia ſibi vere cognita reddere debeat. Quem quidem libellum etſi mei cauſſa elaborandum ſuſcepi, vt normam mihi praeſcribam, ad quam vlterius in medicina colenda verſari poſſim, tamen et Vobis, qui ad veram medici excellentiam adſpiratis, vtilem reddere annitar. Nihil certe magis mihi curae cordique eſſe poteſt, quam vt artis ſalutaris exercitium in vera reipublicae commoda conuertatur, quod fieri nunquam poterit, niſi doctrina medica, in ſcholis ex puris ſcientiae fontibus hauſta, ratione et experientia confirmetur. Valete et meam omnem operam Veſtro ſtudio ſuſtinete. Dabam Lipſiae Menſe Decembri 1764.

PRO-

PROLEGOMENA.

§. 1.

Dogmata et obſeruationes, quae ſcientiam naturalem et medicinam concernunt, a medicis quidem praecipue ideo declarantur et colliguntur, vt ex iis medendi normam in praxi clinica et chirurgica petant: ſed cum eadem ad dubias iuris quaeſtiones, in foro enodandas, applicentur, tertia inde medicinae practicae pars oritur, quae medicina forenſis appellatur (i. m. §. 99).

§. 2.

Non tantum vero ad quaeſtiones iuris dubias in hac doctrina reſpiciendum eſt, ſed cum magiſtratus omnem curam reipublicae ſuſcipiat, et res alias obuenientes ex veris iuris principiis diiudicet et dirigat, medicos etiam in hoc officio praeſtando habet conſiliarios, vt ea, quae ad ſalutem publicam vllo modo pertinent, ex vera rerum natura et indole deriuentur.

§. 3.

Quemadmodum vero medicina clinica et chirurgica, vt practicae diſciplinae, concluſiones ſuas ex

propoſitionibus, in omni doctrina theoreticae medicinae praemiſſis, colligunt, ſic et medicina forenſis cognitionem omnium mutationum, quae in corpore ſano et aegro eueniunt, hoc eſt, phyſiologiam, pathologiam et ſimul ipſam therapiam, ſeu mutationem corporis aegri in ſanum praemiſſam eſſe poſtulat.

§. 4.

Non tantum autem ad actiones corporis humani in ſe conſideratas, ſcilicet ad functiones, quae in machina corporis per fabricam ſolidarum mixtionemque fluidarum partium et vires mouentes eueniunt, attendat medicus forenſis, ſed ſemper quoque et praecipue ad res externas, quae in nos agunt, reſpiciat, quo ex vna parte cauſſas, vitam et ſanitatem conſeruantes, examinet, ex altera vero laedentes in aere, victu, venenis cet. perpendat.

§. 5.

De actionibus corporis humani iudicaturus, anatomen partium eiusdem bene perſpectam habeat, quo inſtrumenta actionum et rationem, quomodo hae perficiantur, ex fabrica ipſa cognoſcat, ſed porro quoque per hanc partium diſpoſitionem in ſitu, nexu et proportione, laeſas corporum actiones pathologice diiudicet, et in anatome corporum, morbo aut laeſionibus violentis demortuorum, exercitatus labem partium, variis ex cauſſis inductam, examinare diſcat.

§. 6.

Quoniam vero ſola cognitio anatomica ad vitam, ſanitatem, morbum et mortem diiudicandum non ſufficit, phyſica virium generalium conſideratio adiungenda eſt, quippe quae vires mouentes, etſi non ſemper ex primis cauſſis, ex phaenomenis tamen illu-

illuſtrat. Quamobrem et chemica mixtionum corporearum indagatio requiritur, quo rationes mutationum, in corpore humano euenientium, ex his cognitionis principiis, quantum fieri poteſt, repetantur.

§. 7.

Cum ex hiſtorica cognitione corporum trium naturae regnorum, animalium, vegetabilium, et mineralium, per ſcientiam phyſicam et chemicam vlterius declarata, medici actionem et efficaciam alimentorum, medicamentorum et venenorum explicent, haec cognitio etiam ad medicinam forenſem applicanda eſt, vt ſanitatis ciuium praeſidia inde petantur, atque cauſſarum laedentium vis infringatur et auertatur §. 4.

§. 8.

Quando igitur vel a magiſtratibus conſilia, de ſanitate ciuium conſeruanda et cauſſis laedentibus auertendis, petenda, vel a iudice quaeſtiones dubiae, in foro, ex medicis principiis ſoluendae ſunt, tunc vel medici exercitati, publica vtplurimum auctoritate conſtituti, qui phyſici dicuntur, vel collegia medicorum in academiis a iure conſultis interrogantur, vt rationibus rerum diſquirendarum exponendis, quaeſtiones propoſitas ſoluant.

§. 9.

Proinde ad iuris et medicinae doctores haec doctrina ita pertinet, vt iurisprudentia medica dici poſſit, quoniam ſancitis iam conſtitutionibus et legibus medicus explicationem phyſico-medicam ſubiungit; vel etiam medicina forenſis ſeu legalis appellari, cum ex variis medicinae dogmatibus et obſeruationibus iureconſultus principia medico-phyſica repetat, et ad concluſiones accuratius eliciendas adhibeat.

§. 10.

Quod ergo hac diſciplina et iuris periti et medici inſtruendi ſunt, his omnia fundamenta accurate cognita eſſe debent, non aeque illis: Iureconſultis enim hiſtorica tantum cognitio earum rerum, quae ex medicina illuſtrari poſſunt, ſufficit, medicis autem vera diiudicandi ratio ex principiis certis relinquitur, vt omnia fundamentis doctrinae nitantur.

§. 11.

Methodus autem docendi ad normam Cl. HEBENSTREITII in Anthropologia forenſi, omnium optime inſtitui poterit, ſi primo iureconſultos vt magiſtratus conſideremus, poſtea vt interpretes iuris ciuilis, criminalis et eccleſiaſtici audiamus, et ea capita, in quibus conſilia medicorum exigunt, accurate perpendamus.

§. 12.

In commodum igitur eorum, qui medicinae principiis non ſatis inſtructi ſunt, breuis et hiſtorica tantum rerum cognitio, ex diuerſis medicae ſcientiae doctrinis petita, praemittenda eſt, quo pateat, ad quasnam potiſſimum res reſpicere debeant ii, qui quaeſtiones dubias medicis proponunt. Niſi enim perſpiciant, ex quibus fontibus medici ſolutionem quaeſtionum deſumere debeant, eas non appoſite ſatis enunciant.

§. 13.

Medici autem, qui quaeſtiones iuris enodare ſuſcipiunt, eo potiſſimum attendant, vt vera naturae phaenomena vbique indicent, et ex his ſolis tanquam ex principiis veris iudicent. Si enim fictis hypotheſibus inhaerent, non raro falluntur, et iureconſultos magis confundunt, quam inſtruunt.

§. 14.

Tractationis vniuersae conspectum nunc in tabula exhibemus: cum autem amplissimum studii ambitum succincte tantum tradamus, nullum repetitioni aptiorem libellum deprehendimus Anthropologia forensi Cl. HEBENSTREITII, quae rerum copia et varietate placet, et cuius ordinem tantum non semper sequuti sumus.

Pars I. De officio medici in republica ordinanda.
Cap. I. De cura nascituri et neonati.
II. De caussis sanitatis publicae ordinandis.
III. De ordinandis conualescendi subsidiis.
IV. De cauendis morbis vniuersalibus.
V. De cura mortuorum.

Pars II. De officio medici in legibus interpretandis.

Tractatio I. De quaestionibus iuris ciuilis.
Cap. I. De priuilegiis grauidarum.
II. De partu legitimo.
III. De aetatum priuilegiis.
IV. De simulatione et dissimulatione morborum.
V. De fostris.

Tractatio II. De quaestionibus iuris criminalis.
Cap. I. De certitudine facti physico-medica.
II. De laesionibus, morborum et mortis caussis.

Sectio I. De lethalitatis idea et diſtinctione.
II. De infanticidio.
III. De vulneribus capitis et colli.
IV. De vulneribus thoracis.
V. De vulneribus abdominis.
VI. De vulneribus externarum partium.
VII. De inepta medendi ratione.
Cap. III. De veritatis eruendae rationibus.
IV. De poenis afflictiuis corporum.
V. De excuſationum rationibus medicis.
Tractatio III. De quaeſtionibus iuris eccleſiaſtici.
Cap. I. De diuortiorum rationibus phyſicis.
II. De dubiis circa baptiſma monſtroſi foetus quaeſtionibus.

PARS I.

DE OFFICIO MEDICI IN REPVBLICA ORDINANDA.

§. 15.

Et ſummi imperantes, et qui illis a conſiliis ſunt, rempublicam dirigunt, et aliquam huius curae partem ad magiſtratus minores deuoluunt. Cum vero inter alia, quae ab iis attenduntur, de conſeruanda vita et ſanitate, deque coercendis morbis et morte incolarum, multa omnino ordinanda ſint, in his medicorum conſiliis vtuntur, qui ex ſcientia phyſica et medica conſiliorum fundamenta hauriunt et exponunt.

§. 16.

Percurramus autem omnia ſtadia vitae hominis, facto initio a naſcendo et neonato infante, duo poſtea primaria capita medicinae de conſeruanda et reſtituenda ſanitate perpendamus, ideoque de ſanitatis cauſſis generalibus, de conualeſcendi ſubſidiis, de cauendis morbis vniuerſalibus diſſeramus, tandem mortuorum curam in republica ſuſcipiendam ſubiungamus.

CAPVT I.

DE CVRA NASCITVRI ET NEONATI.

§. 17.

Cum reipublicae defenſio, commerciorum amplitudo, agriculturae praeſtantia, hisque connexa negotia publica et priuata copiam incolarum exigant, principes, de augendo ciuium numero ſolliciti, exteros ſaepe beneficiis recte alliciunt: non negligendae tamen ſunt eae artes, quae cuiuslibet prouinciae incolas diutius conſeruando augent.

§. 18.

Apta ad copiam ciuium conſeruandam et augendam ſunt ſanitatis publicae praeſidia, de quibus paulo poſt dicturi ſumus: per haec enim non tantum incolae incolumes reſtant, ſed ſani quoque et diu vegeti parentes eſſe ſolent, ex quorum rite ordinata, caſta et moderata venere progenies ſana et numeroſa exſurgit. Talis vero potiſſimum inter eos deprehenditur, qui vita rurali et exercitata corpora firmant, cum in vrbibus populoſioribus deſidia, et potiſſimum luxus in victu et potu, corpora magis infirma reddat.

§. 19.

Vt itaque haec vera generis humani multiplicandi ſubſidia rite diſponuntur, ita alia ſpuria euitanda legibusque coercenda ſunt. Polygamia nimirum, praematura coniugia et inordinata venus, quae nonnullis placent, effectu bono deſtituuntur, quoniam venus hoc modo languida reddita vel nullam,

vel

vel certe imbecillem, progeniem ſiſtit, et in parentibus, ſaepe etiam infantibus, exitioſos et difficulter curandos morbos excitat.

§. 20.

Quanquam nondum euictum eſt, quousque ſe extendat vis imaginationis maternae, a magiſtratu tamen, quantum quidem fieri poteſt, e publico conſpectu remouenda ſunt obiecta omnia, quae grauidis nimiam auerſationem et terrorem iniicere poſſunt, v. c. mutilati homines et qui laruis horrendam formam induunt: etiamſi vero certum eſſet, foetum imaginatione materna ita laedi non poſſe, vt monſtroſa fabrica redderetur, terrores tamen abortum efficiunt, vel grauidas et foetus nonnunquam in morbos coniiciunt.

§. 21.

Venus clandeſtina ſaepe grauiditatem inducit, quam ex pudore vel aliis de cauſſis foeminae, minus tamen pudicae et ſceleratae, celant, quapropter ab iis non tantum remedia abortum efficientia quaeruntur, quibus foetus in vtero eneruetur et occidatur, ſed conſilia quoque de infanticidio in partu capiuntur. Quam ob rem foeminae non maritatae, in quas ſuſpicio grauiditatis cadit, bene attendantur, ſi opus eſt, diſquirantur et cuſtodiantur, vt infantes naſcendi et nati conſeruentur.

§. 22.

Matres itaque familiarum, quae aliquam ſignorum grauiditatis cognitionem habent, hanc inueſtigationem vel ipſae inſtituant, vel ſuſpicionis cauſſas

 cum

cum medico communicent, vel obſtetricem accerſant, vel in vlteriore dubio rem ad magiſtratum transferant: nec de iudicio accuſari poſſunt, etiamſi falſa interdum ſuſpicio iuueniatur.

§. 23.

Cum autem haud raro, antequam ſuſpicio grauiditatis emergere poſſit, ante quartum ſcilicet vel quintum menſem, foeminae, vel larga venaeſectione, vel medicamentis vehementer euacuantibus et ſanguinem commouentibus, abortum mouere intendant, non ſolum chirurgi a venaeſectionibus largioribus foeminarum abſtineant, ſed et pharmacopoei purgantia, vomitoria et emmenagoga fortiora iis non vendant, niſi medicus eruditus, atque veris artis principiis inſtructus, aut vnum aut alterum ſuadeat.

§. 24.

Si foeminae grauidae morbum aliquem, v. c. hydropem fingunt, medici, inprimis iuniores, in ſignis eruendis et remediis exhibendis caute verſentur, ne ipſi, qui de re dubia iudicium ferre debent, decipiantur. Cum igitur catameniorum defectus prima ſit ſuſpicionis cauſſa, eundem ex vitae genere, habitu corporis, pica vel nauſea ſingulari. aliisque ſignis ſemel iterumque perpenſis, iudicent, in remediis adhibendis attenti ſint, et diſquiſitionis rationes cum remediis in diario practico annotent, quo, ſi tandem res ad iudicem deueniat, teſtimonio accurato omnia definire queant.

§. 25.

Si ad magiſtratum defertur ſuſpicio de grauiditate clandeſtina, et ſcrutinium ex variis cauſſis ſumme neceſ-

necessarium est, obstetrices accersendae sunt, quae signa grauiditatis, mammas humore lacteo turgidas, tumorem abdominis, motum foetus explorent, et orificii vterini disquisitionem attente instituant *). Quae signa, quanquam sigillatim considerata saepe dubia sunt, ex variis tamen inter se comparatis veritas certo eruitur.

*) De signis grauiditatis aestimandis conferatur ROEDERER in elementis artis obstetriciae. Edit. II. Goettingae 1759. 8. Cap. VII.

§. 26.

Quod si hac ratione veritas erui nequit, semper tamen aliqua grauiditatis suspicio superest, iuniores nec de statu ventris satis instructae foeminae, inprimis si fama familiarum custodiri debet, aliis foeminis obseruandae tradantur, cum quibus viuant et dormiant. Vitae autem dissolutiori deditae foeminae in carceribus publicis detineantur, donec repetita disquisitione certo constet, vtrum grauiditas, an morbus catameniorum defectum et alia symptomata, cum grauiditate coniuncta, induxerit.

§. 27.

Iam quod puerperae adiuuandae sunt, neque tamen mulieres, quae amicitiae caussa crebrius puerperiis interesse solent, e quibusdam obseruationibus iustam scientiam colligere possunt, ideo auctoritate potius publica quaedam foeminae eligendae et in arte illa recte erudiendae sunt, quo tandem iuramento adstringi, et in munere hoc publico confirmari queant.

§. 28.

§. 28.

Ad obſtetricis vero munus initianda foemina mediae ſit aetatis, puerperium aliquoties ipſa experta, corpore vegeto et ad labores ſubeundos apto, animo etiam ad res diiudicandas celeri inſtructa, quae obſtetricibus in partu iuuando ſaepius adſtitit, et peritiae aliqua exhibuit ſpecimina.

§. 29.

Foeminae ita probatae a medicis phyſicis, vel quod praeſtantius eſt, a medicis obſtetricibus celebriorum cuiusque prouinciae vrbium inſtruendae ſunt, quo partium in partu concurrentium fabricam et actionem, praecipue vteri grauidi mutationes et foetum cum ſecundinis cognoſcant, ideoque non tantum partus naturalis progreſſum, ſed etiam ſitum infantis et vteri praeternaturalem diiudicare diſcant, quo in obliquitate capitis dirigenda, in foetu inuertendo cet. etiam ſine auxilio medici de partu difficili iudicent, et medicum, ſi res ardua videtur et ferramenta ad partum abſoluendum requiruntur, in conſilium ducant.

§. 30.

Cum autem in difficilioribus cauſſis, vt partus retardati vel per vias conſuetas plane impoſſibilis, maior omnino attentio requiratur, in vrbibus praecipuis prouinciarum medici etiam obſtetricii conſtituantur, qui vniuerſum ambitum artis obſtetriciae cognouerint, et omnis partus difficilis iuuandi ſcientiam experientia confirmatam habeant, inſtrumentis etiam variis cum ſucceſſu vti didicerint, et ita non tantum artis praecepta iunioribus medicis, chirurgis et obſtetricibus tradere, ſed etiam ipſi in partu manum et ferramenta applicare poſſint.

§. 31.

Sed cum de norma, medicis obſtetriciis, obſtetricibus ipſis, earumque ſociis foeminis praeſcribenda, prolixius in praeſenti exponere nequeamus, ex conſtitutione Argentoratenſi, quae 1757 prodiit, primarias res enarrabimus, et cum inſtituto obſtetricio Lipſienſi comparabimus. Non ſolum vero medicus obſtetricius, ſed foeminae quoque, iuramento adſtringendae ſunt, quo publica earundem teſtimonia, in iudicio forte exhibita, valida ſint.

§. 32.

Infantes neonatos vel iam prouectiores, a parentibus derelictos, magiſtratus excipiat, vt ſumptibus publicis educentur. Cum enim infantes non tantum parentibus, ſed etiam reipublicae naſcantur, pauperiorum parentum infantes ſimili modo in publica orphanotrophea recipiendi, alendi et in commodum reipublicae educandi ſunt. Pueri quoque et puellae, quos parentes et agnati coercere nequeunt, in iisdem ſeueriori caſtigatione corrigantur.

CAPVT II.

DE CAVSSIS SANITATIS PVBLICAE ORDINANDIS.

§. 33.

Hoc doctrinae medicae caput in quarta Phyſiologiae parte (i. m. §. 662. ſeqq.) ſcilicet in diaetetica pertractatum fuit, vbi medicis diaetae regulas, ad quas in conſeruanda et reſtituenda ſanitate atten-

attendere debent, ita praescripsimus, vt quilibet etiam, qui sanitati suae consulere cupit, ex his intelligat, quo modo moderamen actionum, sanitati conueniens, instituendum sit. Summam itaque consiliorum, quae sanitatem publicam concernunt, et a magistratibus potissimum curanda sunt, breuiter indicare et ex reliquis seligere, ab instituto nostro alienum non est.

§. 34.

Aeris puritas omni modo conseruanda, eiusque deprauata indoles, quae ex inquinatione varia pendet, corrigenda est. Qua in re non tantum ad integras prouincias et terrae tractus, vrbibus populosioribus adiacentes, sed ad vrbes ipsas, aedificia publica et priuata aliaque respiciendum est, ex quibus multa, non priuata incolarum industria, sed auctoritate publica ordinanda sunt.

§. 35.

Climatis vniuersi dispositio et tempestatum statarum variantiumque ratio in prouinciis ipsis raro mutari potest: vmbrosas tamen nimis et humidas syluas exscindi, aquas, longe lateque ad ostia potissimum fluminum decurrentes et stagnantes, fossis deriuari et aggeribus coerceri, paludes aestate potissimum tetrum et noxium halitum spirantes exsiccari, haec inquam omnia a magistratibus praestari posse, et facta esse, variis exemplis ostensuri sumus.

§. 36.

Ob alta nimis aedificia, ventilationem aeris prohibentia, ob incolarum et inde etiam excrementorum copiam, populosiores vrbes eandem puritatem aeris non habent, quam vicina rura. Nec semper flumina in propinquo sunt, quae rapido aquarum cursu recrementa vrbium auferant. Hinc magistratus cura

eo dirigatur, vt putrida corpora, in primis cadauera hominum et brutorum animantium remoueantur, aquae impurae ductus bene purgentur, eae officinae, quarum halitu aer vitiatur, longius remoueantur, et ita morbis epidemicis, ex impuro aere oriundis, occurratur.

§. 37.

Quoniam etiam in aedificiis publicis et carceribus potissimum aer stagnando corrumpitur, et in magno aegrotantium numero in nosodochiis publicis halitus morbosi vagantur, ac sanis etiam auersationem morbosque afferunt, omnia auxilia eo tendant, vt munditie, quantum fieri potest, obseruata tetri halitus arceantur et corrigantur. Quod si renouatio et correctio aeris alio modo effici nequit, machinae, ventilationi aeris aptae, quales HALESIUS aliique inuenerunt, in eiusmodi aedificiis adhibeantur.

§. 38.

Luxum in alimentis et potulentis, eodem modo vt in vestimentis, leges coercent et restringunt, quibus quidem sumptus impendendi minuuntur, et sobria viuendi ratio commendatur, norma tamen sanitati conueniens vix praescribi videtur. Temperantia igitur et frugalitas ciuium laudabili summorum imperantium exemplo, et communi virtutum exercitio commendetur, medentium quoque consilia et monita eos corrigant, qui diaetae erroribus sibi et aliis nocent.

§. 39.

Magistratus autem cura in eo potissimum versetur, vt interdum annonae caritas minuatur, farinae bonae et granorum collectio in granariis publicis instruatur et bene custodiatur, frumenta corrupta et putri-

putrida vel alio modo noxia v. c. lolium temulentum, frumentum corniculatum cet. reiiciantur, herbae venenatae inter segetes et in hortis oleraceis nonnunquam crescentes, fungi nociui cet. quae stupefactiua vel simili venenata indole nocent, et a rerum peritis nonnunquam indicantur, quantum potest, exstirpentur. Quae quidem prouidentia non ad homines tantum, sed in pascuis quoque ad bruta animantia extendenda videri poterat.

§. 40.

Simili prorsus ratione caueatur, ne carne malae notae v. c. caro suilla grandinosa, vel caro animalium morbo contagioso affectorum, vel fructus horaei immaturi, crudo nimis et fermentescente succo scatentes et dysenteriis occasionem praebentes, publice vendantur. Huc quoque referatur cura vasorum coquinariorum, cupreorum, vel etiam stanno cum plumbo mixto obductorum, ex culinis remouendorum, quippe quae, si immundities accedit, a veneni suspicione libera non sunt.

§. 41.

Cum autem ea, quae victum concernunt, legibus non satis definiri queant, sed specialem patris familias et medici potissimum consiliarii attentionem exigant, puritas tamen aquarum, quibus incolae vtuntur, sollicite procuranda est. Iam quidem non vbique scaturigines viuae et purae aquae inueniuntur, hinc pluuialis, fluuiatilis et putealis non priuatis tantum, sed publicis quoque sumptibus colligenda et incorrupta conseruanda est.

§. 42.

Vbi itaque aqua nec ex fluminibus, nec ex puteis purioribus peti potest, cisternae publicae instruantur, in quibus aqua pluuialis confluat, asseruetur

et

et depuretur; vel aquae puriores per aquaeductus e longinquo adducantur, et in ciſternas publicas deriuentur. In hunc vſum facti canales plumbei, vel ex metallica materia parati, licet aqua per ſe metalla non ſoluat, ob admixtas particulas ſalinas a ſuſpicione inquinationis non liberi manent: ex opere itaque latericio vel tubis argillaceis aquaeductus melius conſtruuntur.

§. 43.

Flumina, quae celeri ſatis curſu per ſtrata ſabuloſa decurrunt, vicinis incolis potum ſanum largiuntur, tardius decurrentes aquae, limo et vliginoſa terra ſcatentes, commode per machinas eleuantur, per tubos ligneos aduehuntur et diſtribuuntur, et ſegregata inerti terra meliores redduntur. Variae methodi, aquas impuras per filtrum transmittendi, priuatae incolarum curae committendae ſunt. Riuuli in montoſis locis ob limoſas nonnunquam aquas magis, quam ob metallicas et alias minerales admixtas particulas, nocent.

§. 44.

In vrbibus populoſioribus putei etiam publica cura inſtruendi ſunt, qui, ſi ex ſtrato terrae ſabuloſo et argillaceo propullulant, ad bonitatem viuae et purae ſcaturiginis accedunt, et, niſi ſtagnando corrumpantur, ob admixtas paucas ferri vel ſalis particulas, aquam non noxiam fundunt. Putei, qui per vliginoſa et turfacea ſtrata tranſeunt, argilla cincti puriores fiunt. Eo quoque reſpiciendum eſt, ne ex vicinis cloacis et impurae aquae ductibus putridae particulae admiſceantur, quae aquis ſubdulcem ſaporem conciliant: inſipidae enim et leues praeſtantiſſimae ſunt.

§. 45.

Et potus genera, quae arte parantur, publicae censurae committenda sunt, quo in nostris potissimum terris cereuisiae bene fermentatae nec foeculentae, nec acidae, nec vapidae, morbis generandis aptae vendantur. Spiritus porro frumenti vel vini immoderatus vsus plebeiis saepe hominibus magna damna affert, et praeter ebrietatis vitium, reipublicae adeo noxium, tristes et chronicos non raro morbos inducit, quare eius nimia praeparatio et inde pendens abusus lege coerceatur.

§. 46.

Vinum, nobilissimum potus genus, et oblectamento hominum et sanitati conueniens, in vsus publicos diuendendum est, cura tamen magistratus eo se extendat, vt non nisi bonae notae vina vendantur. Omnes oenopolarum fraudes detegi nequeunt, in eas saltem, quae prae reliquis noxiae sunt, attente inquirendum est: vt si vina austera lithargyrio, vel aliis ex plumbo paratis calcibus, dulciora vel gratiora redduntur, et liquore probatorio, ex auripigmento cum aqua calcis viuae cocto, addito nigra et ideo mangonisata deprehenduntur, oenopolae non tantum vini effusione, sed et mulcta aut seuerioribus poenis coercendi sunt.

§. 47.

Veneris exercitia saepe clandestina sunt, ideoque magistratuum attentionem effugiunt: cum autem interdum publicae offensioni sint, effectibus morbosis noceant, et impura venus in lupanaribus morbos longe lateque proserpentes accendat, publica nullo modo toleranda, priuata vero omni cura prohibenda sunt; ex his enim nulla reipublicae augmenta, sed impura et vitiosa progenies nascitur §. 19.

§. 48.

§. 48.

Multa opificia et labores artificum varii ita comparati ſunt, vt ſine ſpurcitie et corporibus eorum inducta immunditie peragi nequeant, vnde non tantum multi morbi contagioſi, ſed alii quoque difficilioris curationis oriuntur. In republica ergo bene conſtituta balnea publica, vt praeſtantiſſima his morbis cauendis remedia, adornanda ſunt, ſed ita curanda, ne ii, qui contra morbum contagioſum balneis vtuntur, ad ea, quae ſanis tantum deſtinata ſunt, admittantur. Mundities et idonea balneorum conſtructio etiam hoc damnum metuendum arcet.

§. 49.

Melancholici et furioſi, qui ab agnatis non ſatis cuſtodiri aut coerceri poſſunt, magiſtratus publici curam exigunt, ne vel ſibi ipſis vim inferant, vel alios laedant. Experientia quoque docuit, canis rabidi morſum multis ſaepe noxium fuiſſe, quamobrem omnia animalia furioſa protinus necanda ſunt. Cum tandem corporum irruentium vis multos laedat, ea, quae in aedificiis vel ornamenti cauſſa collocantur, velut plantarum receptacula terrea, et quae vento in plateas deiici poſſunt, cenſurae magiſtratus omnino ſubiecta ſunt.

CAPVT III.

DE ORDINANDIS CONVALESCENDI SVBSIDIIS.

§. 50.

Cauſſae morborum vbique praeſentes ſunt, in magna vero hominum multitudine, et in vario viuendi

uendi genere magis magisque euoluuntur et multiplicantur: in republica ideo ſapienter inſtituta et medici conſtituendi ſunt, qui morbis facile oriundis ſe opponant, et praeterea alia ſubſidia, in aduerſa valetudine incolarum neceſſaria, ita ordinent, vt quilibet morbo detentus conſiliis bene perpenſis et remediis ſelectis ac efficacibus iuuari queat.

§. 51.

Medici itaque in academiis ſatis ad artem faciendam parati, poſt examina conſueta vel Licentiati renunciantur, vel ad Doctoris titulum adſpirant, eoque honore artem ſalutarem exercendi priuilegium demum accipiunt. Cum enim medendi officium arduum ſit, multo cum labore eoque ſaepius taedioſo ſuſcipiendum: egregia ſemper ingenia, ad hoc officium reipublicae praeſtandum, plenaria libertate excitanda ſunt.

§. 52.

Cum cura ſanitatis, quam in republica vel ſummi imperantes vel magiſtratus habent, non vltima ſit, medici, qui hanc curam ſuſcipiunt, ab iis attendendi quidem et dirigendi ſunt: minus autem conſulere videntur ciuibus, ſi iis medicos inquilinos tantum obtrudant, et viris ſcientia et exercitio artis claris libertatem artis exercendae ideo praeſcindant, quoniam peregrini ſunt, nec in academiis patriis honorem Doctoris ceperunt.

§. 53.

Si plures medici in aliqua prouincia vel vrbibus populoſioribus ſint, vnus ex illis vel aliquot eliguntur, qui medicorum prouincialium vel phyſicorum nomine inſigniuntur. Qui, etſi in medendo non praecipuo ſunt loco, nec alios a priuato artis exercitio arcere poſſunt, tamen in variis ad medicinam foren-

forenſem ſpectantibus diſquiſitionibus, v. c. in vulnerum inſpectione, in morbis popularibus cet. diiudicandis, ſpeciali iuramento adſtricti, publicam rei medicae curam gerunt.

§. 54.

In rebus, quae ex medica ſcientia pendent, diiudicandis et ordinandis, medicorum ordines in academiis, vel collegia medica a ſummis imperantibus inſtituta, vel tandem principum archiatri et medici primarii conſulendi ſunt, et licet non ſemper ea auctoritate polleant, vt, quae in his mutanda, vel coercenda, vel imperanda ſunt, exſequi poſſint, rationes tamen publicae ſalutis perpendant, definiant, et ad ſummos imperantes eorumque conſiliarios deferant, quo publica auctoritate confirmentur et accurate obſeruentur.

§. 55.

Ne igitur ſanitati ciuium et incolarum male conſulatur, omnibus imperitis, qui veris artis medicae principiis non inſtructi ſunt, cura morborum internorum interdicatur. Hinc non tantum chirurgi et pharmacopoei, doctores bullati, circumforanei et alii medicaſtri, ſed et opiliones, hippiatri et carnifices, qui aliquam medicinae peritiam iactitant, et plebeculam ſaepe vanis promiſſis confundunt, in republica bene conſtituta ad artis medicae exercitium nunquam admittendi ſunt.

§. 56.

Cum vero in oppidulis et pagis medici rite promoti vix ſedem figant, chirurgi caſtrenſes et pharmacopoei, qui rei medicae aliquam cognitionem examine inſtituto declararunt, ad praxin medicam ita admittendi videntur, vt cum medico aliquo vi-

 cino

cino rationes aegrorum communicent, et ex eius consilio vnice pendeant.

§. 57.

Quilibet medicus clinicus et artem chirurgicam vt partem medicinae exercere potest, pauci vero ita exercitati sunt, vt ipsi operationes chirurgicas instituere possint. Chirurgi ergo rite examinati, et societatibus chirurgicis sub directione magistratus adscripti, externas morborum curationes soli suscipiunt. Quod si res ardua occurrat, vel interna morborum curatio externae iungenda sit, nihil temere agant, sed non nisi medici consilio et auxilio suffulti.

§. 58.

Examina chirurgorum non tantum chirurgiam, scilicet vulnerum, vlcerum, tumorum cet. curationes tractant, sed ab iis etiam exigitur, vt sufficientem fabricae corporis, medicamentorum, externis vsibus destinatorum, et ferramentorum cognitionem habeant. Difficiliorum operationum chirurgicarum administratio ab omnibus exigi nequit, sed peritissimis tantum concedenda est; quam ob caussam etiam instrumenta praecipua, ad rem chirurgicam pertinentia. publicis sumtibus in variis prouinciarum vrbibus comparanda videntur, ne quid defectu subsidiorum, vt saepe fieri solet, negligatur.

§. 59.

Et ex chirurgis praestantissimus et egregia artis peritia clarus a magistratu eligitur, qui medico physico in disquirendis iis, quae ad publicam rei medicae curam pertinent, a latere sit, arduas curationes et operationes chirurgicas dirigat et praestet, sectiones cadauerum instituat, et iuramento adstrictus in testimoniis exhibendis auctoritatem publicam habeat.

A chi-

A chirurgia autem exercenda omnes medicaſtri §. 55 ſedulo arcendi ſunt.

§. 60.

Si balneatores chirurgia rite inſtructi et examinati ſunt, pari cum chirurgis iure fruuntur. Cum enim balnea publica, ſanitati adeo proficua, §. 48. inter noſtros fere neglecta ſint, ſcarifatio cum balneorum vſu olim coniuncta, quam ideo chirurgi administrare recuſant, balneatoribus ſolis relicta eſt. Continua quoque, quae chirurgis cum balneatoribus intercedunt diſſidia, et barbae a chirurgis tondendae conſuetudo, qua tempus chirurgiae impendendum perditur, incrementum huius artis in noſtris prouinciis haud parum retardat.

§. 61.

In Galliae prouinciis chirurgi directioni medicorum ſe ſubduxerunt, et excellentiori rerum peritia acquiſita, priuilegiisque regia auctoritate confirmatis ornati, artem ſuam ſine auxilio medicorum exercent, qua de cauſſa magnae inter medicos et chirurgos motae fuerunt controuerſiae. Vti vero medici clinici, quod continuum exercitium non habent, ad chirurgicas operationes dextre adminiſtrandas non ſatis ſunt habiles, ſic rariſſime chirurgi, qui quotidiano exercitio manuum dexteritatem acquirunt, veram doctrinae medicae excellentiam ex veris cognitionis principiis haurire poſſunt, ſed vt plurimum empyricam tantum medendi rationem exercent.

§. 62.

Requiritur omnino ad accuratum chirurgiae exercitium aliqua ſingularis praeſtantia et dexteritas, quam non niſi longo vſu conſequuntur artis periti, qui ideo in alia atque alia chirurgiae parte magis

excellunt. Licet igitur, cum doctrinarum medicarum insignis nexus sit, in arte facienda necessario perquirendus, singulis morbis curandis, singulares medicos et chirurgos constituere incongruum foret: medici tamen ocularii, lithotomi, et dentium morbis prospicientes, si idonea artis exhibuerint specimina, in rempublicam non tantum admittendi, sed priuilegiis excitandi, etiam sostris publicis alendi sunt.

§. 63.

De obstetricum officio §. 27. seqq. dictum est, nunc tantum addimus, iis non concedendum esse, vt in morbis puerperarum, grauidarum et infantum medicamenta exhibeant. Ac ne vulgaria quidem, domestica, et forte innoxia futura medicamenta earum arbitrio relicta sint, cum sine medici consilio in grauioribus saepe morbis praestantiora remedia negligentes ob inscitiam vehementer errent.

§. 64.

Vt quaelibet terra incolis alimenta praebet, sic etiam in indigenis corporibus naturalibus vis medicata, aegris applicanda, delitescit; cum vero exotica vegetabilia aliaque corpora naturalia, peculiari efficacia polleant, ea quoque commercia, quibus medicamenta exotica importantur, colenda sunt. Myropolae siue aromatarii, qui simplicium sic dictorum medicamentorum mercaturam exercent, ita instruendi sunt, vt genuina medicamenta conquirant et pharmacopoeis tradant.

§. 65.

Hae myropolarum tabernae, et inprimis officinae pharmaceuticae, in quibus medicamenta venduntur, censurae medicorum subiectae sint. Magistratus ideo curam habeat, vt vel pharmacopola ipse, vel mi-

miniſtri,quos pharmacopoliorum domini ſaepe conſtituunt, quos vulgo prouiſores vocant, iuramento ad officium hoc rite praeſtandum adſtringantur, nec non conſtituto quodam tempore vel a collegio medico, vel medico phyſico prouinciali bonitas medicamentorum diſquiratur.

§. 66.

Examina pharmacopoeorum hanc ob cauſſam quoque neceſſaria ſunt, qua explorandum eſt, an veram medicamentorum ſimplicium, genuinorum et ſpuriorum, habeant cognitionem, an in bonitatem eorundem inquirere didicerint, an chemicis et pharmaceuticis doctrinis ſatis imbuti ſint, et dexteritatem in praeparandis medicamentis habeant. Negligentia enim hac in parte et aegrotis ſaepe noxia eſt, et famae praeſtantiſſimorum medicorum, qui peritiae pharmacopoeorum confidunt.

§. 67.

Nimia eſt medicamentorum et ſimplicium et praeparatorum et compoſitorum copia, quorum vera et genuina indoles in officinis pharmaceutarum vix conſeruari poteſt, ideoque poſt ſeriam a collegio medico factam perluſtrationem auctoritate publica minuenda videtur. Similiter in praeparatis et compoſitis medicamentis varia mutari poterant ad eam normam, quam diſpenſatoria praeſcribunt, a praeſtantiſſimis medicis compilata et diiudicata, ſummorumque imperantium auctoritate ſtabilita: e quibus inter ſe comparatis apparatus medicamentorum, doctrinae pharmaceuticae et therapeuticae accommodatus, ſeligi et reſtitui poſſet.

§. 68.

Praeter myropolas in magnis vrbibus, qui commercia exoticorum medicamentorum dirigunt, ſimpli-

plicium collectio et distributio pharmacopolis committenda est; ea vero, quae ex his ad vsus domesticos et opificia varia requiruntur, vt aromata varia, salia cet. aliis mercatoribus quoque concedenda sunt, cum maior saepius copia, quam quae in officinis pharmaceuticis prostat, requiratur. Praeparata et composita medicamenta solis pharmacopoeis relinquenda sunt. Monopolia et concessa hanc ob rem priuilegia, quousque commercio libero conueniant, a nobis non disquirendum est; id tamen defendimus, rei medicamentariae omnino noxia esse, cum selectus et bonitas vtplurimum negligatur.

§. 69.

Num medici ipsi medicamenta exhibere possint, vel debeant? dubia quaestio est. Cum ergo plerumque vera cognitione artis chemicae instructi sint, optima certe foret, nec illis denegari posset, distributio medicamentorum, nisi studiosa eorum praeparatio medicis eruditis, et laboribus potissimum practicis obrutis, multum temporis detraheret. Ideo officinae pharmaceuticae magnis sumtibus instruuntur, e quibus omnia petere medicamenta aequitas rei exigit. Selecta tamen et singulari praeparatione excellentiora remedia medicis, artis chemicae potissimum peritis, interdum relinquenda essent, si collegio medico declararent, hanc specialem distributionem sine immenso lucro et fraude suscipi.

§. 70.

Vti itaque medicis distributio medicamentorum non nisi cum aliqua limitatione concedenda foret, sic aliis, qui medicamenta vendunt, plane interdicenda est. Quanquam autem priuilegia hac de re a summis imperantibus concessa, non infringenda sunt, ea tamen latius extendi non debent, heredes enim

medi-

medicamentorum arcanorum, nec aegros, quibus paterna medicamenta vendunt, diiudicare valent, nec selectum simplicium, nec veram praeparandi methodum noscunt.

§. 71.

Curationes morborum non suscipiant pharmacopoei, nisi interdum in oppidulis et sub directione medici vicini. §. 56. Nec medicamenta iis vendant, quibus artis medicae exercitium interdictum est. §. 55. Medicamenta potissimum efficaciora, vomitoria, purgantia, emmenagoga et opiata, non nisi ex praescripto medici, cuius manum e formula scripta agnouerunt, porrigant. Inprimis vero nulla venena sine accurato examine hominum, qui ea ad varia opificia et vsus domesticos requirunt, impune diuendant.

CAPVT IV.

DE CAVENDIS MORBIS VNIVERSALIBVS.

§. 72.

Si ea, quae superiori capite monuimus, in republica bene obseruarentur, morborum cauendorum et curandorum ratio non exigeret vlteriorem animaduersionem; cura enim sporadicorum et epidemicorum morborum, quatenus ex vniuersali et vix mutanda aeris vicissitudine, aliisque caussis occasionalibus et praedisponentibus, pendent, medicis solis relinquenda est: sunt tamen et ex contagiosis nonnulli, qui magistratus curam specialem exigant.

§. 73.

Quoties dysenteriae epidemicae, febres malignae, putridae, petechiales, quae inter plebeios homines con-

contagiosa indole disseminantur, vehementius saeuiunt, et multos eripiunt, magistratus a medicis, et potissimum physicis, exigat, vt in caussas et vera curationis subsidia studiosius inquirant. Pauperes inprimis aegri a medicis in hunc finem constitutis obseruentur, medicamenta et alia conseruationis subsidia accipiant, et, si opus est, ne malum ad alios serpat, in nosodochia transferantur.

§. 74.

Cum itaque omnes morbi, qui multos ciues perdunt, peculiarem curam magistratus requirant, inter alios variolae quoque publica auctoritate iuuandae essent, si aptis auxiliis coerceri possent. Insitio variolarum, quae in se considerata a prudentissimis medicis vtilis iudicata est, directionem tamen exigit, ne verae praeparationis defectu morbus arte excitatus, inter plebeios praecipue, magis saeuiat, quam natura productus. Ea v. c. in nosodochiis aere impuro scatentibus non concedenda est, nisi in iis peculiaris dispositio ad infantes, vt decet, tractandos facta sit.

§. 75.

Foeda scabies et magis exitiosa lepra, licet chronici morbi sint, tamen exigunt, vt aegri a sanis segregentur, ne malum vlterius proueharur. Inprimis vero venerea labe affecti a reliquorum hominum consortio remouendi, in nosodochia publica recipiendi, et seorsim collocandi sunt. Est enim in hoc contagio semel recepto vis sese multiplicandi, quae nisi cito cohibeatur, in ipsum ossium meditullium penetrat, nec tantum impuro coitu, sed et stragulis et vestimentis communicatur.

§. 76.

§. 76.

Sunt, qui hanc curam magiſtratus ad arthritidem habitualem, phthiſin et ſimiles morbos extendant, quae tamen ideo non requiri videtur, quod in his contagii vis ſapienti conſilio medicorum frangi poteſt. De furioſis et melancholicis ſupra dictum eſt. §. 49. In genere enim monemus, in omnibus morbis pauperes auxilium, quod ſibi ipſis comparare non poſſunt, a magiſtratu exigere poſſe, eamque ob rem noſodochia publica magna cum cura inſtituenda eſſe.

§. 77.

Cum etiam in caſtris magna hominum multitudo, et aeris viciſſitudinibus et indigentia multarum rerum, ad morbos epidemicos malignos diſponatur, medicus, qui cum exercitu eſt, curam eorum, quantum poteſt, cauendorum habeat. Triſtis tamen experientia docuit, regulas diaetae vniuerſales, et ſubſidia curationis morborum cum ratione et conſiliis ſummorum ducum vere conſiſtere non poſſe, ſed morbos contagioſos ipſo auxiliorum defectu oriri et creſcere.

§. 78.

Peſtis praecipue, vehementiſſimus et acutiſſimus morbus, medicorum conſiliis nec cauetur, nec curatur, niſi peculiaris ſummi imperantis et magiſtratuum cura concurrat. Ac nos quidem ſummum numen ſupplices veneramur, velit dirum hoc malum a noſtris, vicinis et omnibus prouinciis auertere. Quoniam vero pro ratione noſtri inſtituti, ea, quae tempore peſtis in republica agenda ſunt, exponi debent, ad tractationem quam in inſtitutionibus medicinae clinicae §. 155. ſeqq. de peſte propoſuimus, nunc commode prouocamus.

§. 79.

Vel metus contagii imminentis iam attentos reddat magiſtratus: hinc commercia cum prouinciis, in quibus contagium ſaeuit, plane interdicenda ſunt. Cum igitur inter Aſiae populos et in vicino Africae ſeptentrionalis tractu, peſtis ſaepe bubonibus, anthracibus et carbunculis comitatâ, regnet: in Europaeis portubus non excipi debent naues ex orientali plaga venientes, niſi teſtimonio ſanitatis munitae ſint, et, quo omnis ſuſpicio euaneſcat, per quatuordecim ad minimum dies, et homines in noſodochio hanc ob cauſſam exſtructo detineantur, mercibus ventilationi aeris expoſitis.

§. 80.

Si qua ſigna morborum contagioſorum, qui ad peſtis naturam accedunt, vel in incolis prouinciarum, vnde naues veniunt, vel in nautis ipſis animaduertuntur, illa mora ad quadrageſimum diem et vltra extenditur, mercesque contagii capaciores comburuntur. Si vera peſte affecti ſunt nautae, naues in portum nunquam recipiuntur, homines in deſertam inſulam relegantur, nauis ipſa cum impoſitis rebus, inprimis iis, quae infectioni ſubiectae ſunt, crematur.

§. 81.

In terra continente, ſi peſtis v. c. in vrbe quadam et vicinis oppidis regnat, limites figuntur, quos nec infecti nec ſani, niſi in ſolatium aegrorum mittantur, transgredi poſſunt: quos limites, ſi natura loci vel fluminibus vel montibus obiectis conſtituit, optime conſultum videtur. Cuſtodes limitum in medio conſtituti id agant, ne illicita commercia fiant. Magiſtratus tandem curato, vt alimenta, medicamenta

menta et alia, quibus miſeri carere nequeunt, in affecta loca transferantur.

§. 82.

Merces, quae peſtiferum halitum facillime excipiunt, retinent ac propagant, ſunt telae ex lana, ſerico et goſſypio confectae, pelles animalium, lintea varia, etiam chordae ex cannabi et aliis vegetabilium partibus paratae. Lignea et metallica vaſa, niſi ſpurcitie maculata, contagio non tanguntur. Vti vero res halitu peſtifero infectae omnes comburi debent, ſic eae, quae tantum aliquam ſuſpicionem mouent, ventilatione aeris vel ſuffimigiis purgentur, et ſuſpicione contagii diſſipata, demum in commerciis admittantur.

§. 83.

Sed quoniam terrae quidam tractus, aut domus ſingulares, immo conclauia quaedam ab infectione libera ſeruantur, atmoſphaeram aeris vniuerſalis peſtifero contagio imbutam eſſe, concedi non poteſt, particularis tamen halitu tetro nocet. Neque vero vniuerſalia remedia negligenda ſunt: hinc in locis publicis ignes accendendi, et tormenta bellica ob vaporem pulueris pyrii explodenda ſunt: praecipue tamen attendendum eſt, vt mundities in viis et aedificiis publicis priuatisque omni modo obſeruetur, quam ob cauſſam cadauera demortuorum ex aſpectu publico, nocte potiſſimum, remouenda et ſepelienda, aut ſi vrbis ſitus permittat, in mare proiicienda ſunt.

§. 84.

Ex victu crudo et minus ſano morbi oriuntur, qui tamen vix contagioſi, multo minus peſtilentes dici merentur. Cum vero frumenta et carnes malae notae ipſis ſanis et robuſtis nunquam conceden-

dae

dae ſint, peſtis tempore potiſſimum farinae et reliquorum eſculentorum, ex cerealibus praeparatorum, bonitas curetur, carnes malae notae v. c. anſerina et ſuilla, vitentur, et alia ad victum ſanum conſeruandum auxilia adhibeantur; triſtis enim experientia docuit, indigentiam er deprauatum victum morbum iam imminutum iterum auxiſſe.

§. 85.

Cum languor et ſubita virium proſtratio, putredinis ſigna, in peſte potiſſimum appareant, medici ad haec ſymptomata in curandis aegris reſpiciunt, et vires vitae analepticis ſuſtinere tentant: inter remedia itaque, quae a magiſtratu in publicos vſus conquirenda et miſeris aegris diſtribuenda ſunt, vina et aceta aliaque acida medicamenta praecipue pertinent, quae ſaepe plus praeſtant, quam pretioſiſſima officinarum alexipharmaca.

§. 86.

Nullus medicorum et chirurgorum publicis calamitatibus ſe ſubtrahere debet. Cum vero et ii, qui peſte nondum affecti ſunt, auxilio medicorum carere nequeant, medici et chirurgi ſic dicti peſtilentiales, publico ſtipendio conducti, accerſendi ſunt, qui pauperum curam ſuſcipiunt: et hi quidem, in diſquiſitione cauſſarum morbi et remediorum vtilium conſtituti, cum collegio medico quotidie conferant, quo efficacia peſtis coercendae et abigendae conſilia capiantur et magiſtratui indicentur.

§. 87.

Domus peſte infectae ſigno quodam notantur, ne ſani easdem intrent, niſi forte vi officii publici aegrorum curam ſuſcipere teneantur. Si vnus ex inquilinis illius domus labe affectus eſt, in noſodochium publicum cito deportetur, ſin plures ſimul, in

in aedibus relinquendi ſunt, vt vel ab amicis, vel iis, qui publica auctoritate conſtituti ſunt, auxilia infectis praeſtanda obtineant. Nimia aegrorum copia in noſodochiis vel aedificiis priuatis decumbentium morbo continuando et augendo anſam praebet.

§. 88.

Specialis quoque, ceſſante contagio, vel in vniuerſum, vel in domo qualibet, cura eo dirigenda eſt, vt aedificia ab infectione libera reddantur. Omnibus itaque ſordibus purganda, poſtea ſuffimigiis et ventilatione aeris crebriori tetri halitus ex omnibus conclauibus diſſipandi, et parietes calce viua obducendi ſunt. Vtenſilium quoque ratio habenda eſt, et ea, quae infectioni inprimis obnoxia ſunt, veſtimenta et ſtragula, comburantur, alia vero lauentur, et fumigatione ac ventilatione purgentur, quo puritate reſtituta, ſanitas vbique veris auxiliis recuperetur.

§. 89.

His, quae praecipue de cura magiſtratus in peſtilentia diximus, etiam alia addi poterant, ſi noſtram tractationem vlterius extendere vellemus. Quaeſtio v. c. mouetur, an canes et alia animalia domeſtica occidenda ſint, ne peſtis contagium ex domo in domum transferant? Sed miſſis his dubitationibus, ex generali theoria phyſica dilucidandis, nunc tantum ob argumenti ſimilitudinem quaedam de peſte boum et armentorum coercenda et cauenda adiungenda erunt.

§. 90.

Morborum contagioſorum, in armentis oriundorum, cauſſae, in aere, pabulo et aquis impuris poſitae, licet proximae non ſint, et contagii ſpecialis vis eosdem potius incendat, curam tamen magiſtratus exigunt, quo publica calamitas caueatur. Si igitur in terrae quodam tractu veſtigia morbi increſcentis

obſeruantur, in vicinis locis omnia ita diſponantur, ne morbus vlterius ſerpat, ſed cauſſae vniuerſales, quantum fieri poteſt, auertantur.

§. 91.

Limitibus igitur morbo graſſanti oppoſitis, porro imperandum eſt, vt puritas ſtabulorum conſeruetur, tetri halitus ſuffimigiis et ventilatione aeris corrigantur, apta pabula eligantur, medicamenta naturae morbi conuenientia ſuadeantur, animalia lauentur et ſtrigilibus perfricentur, vt, his omnibus accurate obſeruatis, morbus mitior reddatur et penitus diſſipetur. Animalia ſana in ſtabula olim infecta non admittenda ſunt, niſi ſatis purgata fuerint.

§. 92.

Cadauera demortuorum animalium, pelle vel detracta, vel profundius inciſa, ſepeliantur, et terra multa contegantur. Coria animalium, licet contagium iis inhaereat, in vſus futuros tamen praeparari poſſunt, dummodo mox in aqua calcis viuae eo vſque macerentur, donec pili ſecedant. Haec vero cuncta in eiusmodi loco ſuſcipienda ſunt, ad quem armenta ſana adhuc deuenire non poſſunt. Eadem experientia, quae carnes iam infectarum beſtiarum edi non poſſe demonſtrauit, permittere videtur, vt mactatae, morbi imminentis tempore, ſine damno adhibeantur: nolumus tamen eiusmodi carnes, ob auerſationem, quae damna adferre poteſt, vendi. §. 40.

CAPVT

CAPVT V.

DE CVRA MORTVORVM.

§. 93.

Cura mortuorum consanguineis et aliis amicis relinquitur: vti vero aegros derelictos curam magistratus exigere diximus, §. 76. sic eorum funera etiam ab eius directione pendent. Haec cadauera, summi imperantis iussu, medicis saepius ad exercitia anatomica conceduntur, qua in re tamen consensus consanguineorum requiritur, qui si ipsi curam funeris suscipiunt, mortuus iis relinquendus est.

§. 94.

Magistratus etiam cadauera hominum, vel in aedibus priuatis subitanea morte extinctorum, vel in locis publicis repertorum, per artis medicae peritos inspicere, et in caussas mortis inquirere iubeat. Si qua violentae mortis indicia deprehenduntur, opus est, vt sectione cadaueris laesiones externae et status viscerum definiatur. Sic etiam medici rite constituti sectiones demortuorum, qui morbi curam medicastris mandarant, inprimis si negligentiae in medendo signa apparent, a magistratu exigere possunt, vt horum imperitia puniatur.

§. 95.

Inprimis autem ii, qui sibi ipsis manus violentas intulerunt, et disquirendi, et, si de melancholico eorum statu non satis constet, sectione examinandi sunt, quo de sepultura honesta aut minus honesta decerni possit. Ignominiae sibi ducunt nonnulli, societatibus opificum inprimis adscripti, autochiri ca-

dauer tangere, vel ſuſpenſum agonizantem laqueo reſecto in vitam vindicare; quia tamen de vita hominis miſeri conſeruanda ſolliciti fuerunt, minime vituperandi, ſed auctoritate magiſtratus contra ignominiae maculam tuendi ſunt.

§. 96.

Coemeterium ſeu locus publicus, in quo corpora mortua ſepelienda ſunt, a magiſtratu non in vrbe ipſa, ſed, ob aeris liberioris acceſſum, in ſuburbio deligatur. Idem hac de cauſſa copioſa funera, templis inferenda, interdicat, vel eo attendat, vt ſepulturis priuatorum, quorum eſt legitima poſſeſſio, is locus aſſignetur, ne halitus putridi morbis accendendis occaſionem praebeant. §. 36. Haec attentio in vrbibus populoſioribus inprimis tunc temporis neceſſaria eſt, cum contagioſi morbi magnam ſtragem edunt, quo tempore praeſtat cadauera calce viua obtegere §. 83.

§. 97.

Demortui cito humandi non ſunt, ne hyſtericae foeminae, vel alii aegri graui lipothymia correpti et ſemimortui ſepeliantur. Et licet in peſte affectis cita ſepultura neceſſaria eſſe videatur, cadauera tamen quoque diſquirenda ſunt, ne ſyncope detenti et languidi aegri cum mortuis abripiantur. Certum mortis ſignum putredo eſt, quae cum non ſemper expectari poſſit, in cauſſa dubia ad normam eorum ſignorum, quae in medicina clinica de ſyncopticis, §. 680. expoſuimus, cadauera a medico erudito disquirenda ſunt.

PARS

PARS II.

DE OFFICIO MEDICI IN LEGIBVS INTERPRETANDIS.

§. 98.

Medici non tantum consiliorum de rebus medico-physicis in republica auctores sunt, sed et controuersias, in variis iuris partibus motas, quae non nisi ex scientia naturali et medicina decidi possunt, sic tractant, vt dubitationum fundamenta et iudicandi rationes perpendant, inter se comparent, et ita quaestiones dubias ex natura corporum definiant, quam quidem doctrinam ad varia capita iuris ciuilis, criminalis et ecclesiastici reducere tentabimus.

TRACTATIO I.

DE QVAESTIONIBVS IVRIS CIVILIS.

CAPVT I.

DE PRIVILEGIIS GRAVIDARVM.

§. 99.

Cum foeminae vterum ferentes prae reliquis hominibus variis vitae incommodis obnoxiae sint, cum vehementes animi affectus, in primis terror, iis quam maxime noceant, et vel abortum inducant,

vel foetum et matrem alio modo laedant, ii, qui grauidis terrorem incutiunt, vel eas alia ratione laedunt, praecipue ſi grauiditatis aliquam notitiam habuerint, ſeuerius puniendi ſunt.

§. 100.

Si meretrices ſe a viro quodam, cui matrimonio iunctae non ſunt, compreſſas et inde grauidas factas eſſe aſſerunt, quo ab eo viuo aut ab eius heredibus dotem et alimenta infantis acquirant, aut ſi poſt obitum mariti vxor relicta grauida eſt, vel grauiditatem fingit, quo hereditatem ad infantem paulo poſt naſcendum transferat, tempus partus maturum omnino expectandum eſt, antequam de his decernatur.

§. 101.

Indicauimus quidem grauiditatis ſigna §. 25. ex quorum praeſentia vel defectu res citius diiudicari videtur: cum tamen et lac interdum in mammis non grauidarum ſit, et grauidae nonnunquam eo careant, cum menſtrua ex morbo ceſſare, vel cum grauiditate adeſſe poſſint, cum a diſpoſitione naturali aeque ac morboſa venter tumere, nec non motus peregrini corporis in eo obſeruari poſſint, cum orificii vterini mutatio, vt certiſſimum grauiditatis ſignum fallax ſit, diſquiſitiones inſtitutae ita comparatae non ſunt, vt ex iis iudicium omni exceptione maius ferri poſſit.

§. 102.

Magis ambigua videtur quaeſtio de grauiditate, ſi in eum virum transfertur, qui ratione aetatis, vel virium morbo fractarum, impotens iudicatur, ſi foemina vel ob teneram nimis, vel prouectam magis aetatem, et defectum menſtrui fluxus inde pendentem, ad conceptum parum apta eſſe dicitur. Sed et

haec

haec quaeſtio poſt partum excutienda, atque ex impotentia coniugali, quae in capite de diuortiorum cauſſis phyſicis diſquiritur, diiudicanda eſt.

§. 103.

Si ex parte foeminae de infante ſuppoſititio apud haeredes, quorum fama et fortuna hoc mendacio laeditur, metus exſurgit, ad diſquiſitionem obſtetriciam veniendum eſt, aut foeminae in honeſtam cuſtodiam dandae ſunt, nec aliqua caſtitatis ſpecies vterum grauidum tuetur. Et haec quidem attentio vsque ad tempus grauiditatis ſuperatum perdurare debet, cuius quidem terminum vltra quadrageſimam hebdomadem vix extendere poſſumus.

CAPVT II.

DE PARTV LEGITIMO.

§. 104.

Partus humanus nouem a conceptione menſibus abſoluitur, et hoc ipſum tempus cogitatione verarum humanae naturae virium vt certum definitur. Sed menſes intelligimus ſolares, quorum quilibet numerum dierum praeſcriptum haud adeo diuerſum habet. Trigeſima enim octaua hebdomade abſoluta foetum maturum edi poſſe, terminum tamen vtplurimum ad quadrageſimam produci, artis obſtetriciae doctoribus experientia edoctis placet. Partus itaque legitimi tempus die ducenteſimo ſexageſimo ſexto, vel demum ducenteſimo octuageſimo poſt conceptionem finiendum eſſe, in promtu eſt.

§. 105.

Cum autem nonnulli in decimum menſem, immo ad initia vndecimi, tempora partus legitimi extendant, priores quidem menſes lunares ſynodicos intelligunt, luna ſcilicet a ſole digreſſa, ad eundem iterum redeunte, quae orientalium populorum et HIPPOCRATIS forte numerandi ratio eſt: tunc partus legitimi tempus, ducenti nimirum et octuaginta dies, nouem menſes et quindecim circiter dies efficit. In periodicis vero menſibus lunaribus, quos poſteriores aſſumere videntur, luna ſcilicet ad idem zodiaci punctum redeunte, decem menſes et ſeptem circiter dies conficiuntur.

§. 106.

Licet vero et conceptionis et partus naturalis tempus certum ſtatui, atque ex nunc propoſitis et inter ſe comparatis definiri poſſet, aliae tamen quaeſtiones dubiae mouendae et extricandae reſtant: an acceſſoriae quaedam cauſſae foetum citius excludant aut retardent, vel an aliae quaedam circumſtantiae in partu occurrant, quae dubitationem de legitimo partu afferunt.

§. 107.

Sana et vegeta mater infantem vegetum et bene nutritum octauo vel ſeptimo quoque menſe poſt conceptionem edere nequit; quod ſi vero mater, terroris vel animi affectus vehementioris impetu commota, haemorrhagiam vteri patiatur, aut imbecillior per grauiditatis tempus, variis morbis et curis depreſſa fuerit, ideoque vterus vel relaxatus et debilis, vel ſpaſtice contractus inueniatur, tunc partus, quem octauo vel ſeptimo menſe edit, legitimus pronunciandus eſt.

§. 108.

§. 108.

Facile tamen patet, praecipue ad indolem foetus respiciendum esse. Is enim, qui iusto citius excluditur, imbecillis est, non satis nutritus, paruulus et macilentus, iustam dimensionem non habens, tenui lanugine in toto corpore efflorescente, capillis praeterea et vnguibus non satis excrescentibus et induratis. Idem, postquam in lucem editus fuit, somno ferme continuo detinetur, nec crebriorem eiulatum edit cet. *). De praematuro etiam partu certiores sumus, si vitium secundinis adhaerens allegari potest.

*) Reliqua signa in Cl. ROEDERERI Diss. de temporum in grauiditate et partu aestimatione, Goettingae 1757. 4to. §. 13. 14. proponuntur.

§. 109.

Serioris partus rariora forte sunt exempla, eorumque nonnulla vel ideo ficta, quoniam conceptionis momentum rarissime certo definiri potest, et termini menstruorum defectus, ac motus primi foetus in vtero sunt maxime fallaciis obnoxii. Ad vnam alteramque septimanam tamen, et forte ad finem decimi mensis, grauiditatem produci posse, credibile est, si per curas, morbum et haemorrhagias intercurrentes abortus metus inductus fuit, et foemina tandem maturum foetum edidit. Haec quidem asserta legitimis testimoniis comprobanda sunt. Ex debilitate tamen matris, partum praecocem magis, quam seriorem fieri, experientia docet.

§. 110.

Non desunt quidem obseruationes partuum ad vndecimi mensis initia productorum, ita vt hac in re consuetudines iuris viduis faueant: sed vti de ha-

rum obſeruationum fide non ſine ratione dubitamus, ſic aliae, quae duodecimum, aut decimum tertium menſem rarioribus exemplis confirmare nituntur, falſae omnino iudicandae ſunt. Rariora enim exempla, vbi foetus mortuus et imperfectus diutius in vtero ſubſtitit, cum cauſſam morboſam coniunctam habeant, partum legitimum definire non poſſunt.

§. 111.

Cum ſeptimeſtris foetus viuat, ſaepius conſeruetur et creſcat, etiam vitalis cenſendus eſt, hoc eſt is, qui vitam protrahere, hereditatis particeps fieri, eamque ad alios transferre poſſit. Valent hic, quae §. 106. 107 expoſuimus, et ex ſignis indicatis, inprimis ex vagitu et reſpiratione incepta concludimus, ſi haec reſpiratio adſit, reliquas functiones homini viuo proprias omnino praeſtari et continuari poſſe, dummodo foetus debilis cura neceſſaria excipiatur. De octomeſtri non dubium eſt, in quo vitae cauſſae iam perfectiores ſunt, quam in ſeptimeſtri.

§. 112.

Si vel ſexto menſe, vel ante initium ſeptimi, foetus naſcitur, qui anxie reſpirat et quodammodo ſtertit, vita quidem ei denegari nequit, vitalis tamen pronunciandus non eſt, niſi tanta vi polleat, vt effectus reſpirationis aliquo vagitu, vel ſuctione papillae, vel reſorptione fluidi oblati oſtendat: vix enim fieri poteſt, vt ex dierum numero vitalis aeſtimetur, in quibus fallacias eſſe ſupra monuimus. §. 109.

§. 113.

Et foetus nono menſe, iuſtoque partus tempore in lucem editus, interdum adeo languidus et male nutritus apparere poteſt, vt quaeſtio de eius vitalitate moueri queat. Porro et is, qui ex vtero matris, in

in partu vel breui tempore ante partum mortuae, sectione caesarea educitur, dubitationem de legitimo partu habere poteſt; ſed ſi quae ſupra tradidimus huc applicantur, nulli dubitamus, his ipſis viui hominis iura minime denegari poſſe.

§. 114.

Sed et de nouimeſtri maturo foetu, in ipſo partu mortuo, dubitari poteſt, an vere vixerit? In quo quanquam obſtetricis iuratae teſtimonium multum valet, tamen ſi res accuratius et a medicis ipſis, in partu non praeſentibus, diiudicari debet, ad reſpirationis organa et praecipue ad pulmones, aquae innatantes, res maxime redit.

§. 115.

Monſtroſi foetus et bicorporei, et alii, ab humana forma non nihil recedentes, rarius vitam diu protrahunt: quia tamen interdum vitae continuatae ſigna animaduertuntur, et hi legitimi partus pronunciandi ſunt. Cum bicorporeus vel biceps foetus, ſi vitam continuaret, communis tantum vitae continuandae rationem habeat, et diſputatio de anima duplici in duplici capite et corpore nulla ſit, pro vno homine haberi debet, niſi, quod interdum euenit, coalitus corporum tantum ſuperficialis ſit. Membris mutilati foetus, et mutata non nihil capitis forma conſpicui homines, humanam figuram magis quam alius animalis exprimunt, ideoque vt aegri conſiderandi ſunt, qui tamen iura ſua vt viui hominis tuentur.

§. 116.

Et monſtroſi quid in genitalibus occurrit. Quanquam vero tunc partus legitimus eſt, tamen adhuc de dubio ſexu quaeritur. Inſpectio igitur partium ab artis peritis inſtituenda eſt, qui definiunt, vtrum penis teſticulis et ſcroto retractis vuluam ſimul cum

pene

pene mentiatur; an foemina clitoride aucta, sed sine vrethra vuluam ostendat, orificiis vaginae et vrethrae vel apertis vel praeter naturam clausis instructam.

§. 117.

Suppositititius foetus legitimus dici nequit: nata ergo suspicione fictae grauiditatis, et ideo suppositititii foetus, iis, quibus hereditas detrahitur, a magistratu venia partus obseruandi et examinandi fieri debet. Dantur et in foemina partus praeteriti signa, ab obstetrice iurata disquirenda, et recentis foetus vmbilicus testimonium exhibet. Haec primis post partum diebus a medicis diiudicari possunt, si vero suspicio tardius oriatur, nec in matre, nec in infante signa rei recte definiendae supersunt.

§. 118.

In partu gemellorum ius primogeniturae constituendum est. Cum duplex interdum vterus inueniatur, superfoetatio forte locum haberet, et conceptio duplex definiri posset, si v. c. foemina ex marito defuncto grauida, ab alio quoque post mortem mariti compressa, altera vice grauida redderetur: sed nullae fere obseruationes, extra omnem dubitationem positae, superfoetationem confirmant. In partu gemellorum et trigeminorum, qui prius ex vtero egreditur, ius primogeniturae habet. Neglecta hac disquisitione, nec ex corporis aut animi praestantia, nec ex aliis signis certi quid statui poterit.

CAPVT

CAPVT III.

DE AETATVM PRIVILEGIIS.

§. 119.

Infantum cura et educatio, ſi re ita ferente a parentibus non fit, a magiſtratu ſuſcipiatur, §. 32. qui pauperioribus neceſſaria vitae ſubſidia largitur, et aliis, quibus ex hereditate vel vitae neceſſitates vel ampliores diuitiae conceſſae ſunt, tutores publica auctoritate conſtituit, donec ex iuuenili ad virilem aetatem venerint, ipſique rebus ſuis praeeſſe poſſint.

§. 120.

Ipſa pubertas ex phyſicis ſignis cognoſcitur, licet apud alios citius tardiusue huius perfectionis ſigna in pilis variarum corporis partium, in vocis conſtantia, artuum vigore cet. inueniantur. In potiore potiſſimum ſexu ſeminis acceſſus et ita vis ſobolis procreandae ſe exſerit, quae quidem cuncta in ſexu ſequiore citius euenire videntur: inprimis vero acceſſus catameniorum, decimo quarto aetatis anno vtplurimum eueniens, diſpoſitionem ad foetum ſuſcipiendum declarat.

§. 121.

In his magna varietas eſt, quoniam clima, parentes, educatio et aliae cauſſae ad vigorem aetatis vel citiorem vel tardiorem multum conferunt. Cum autem medici, qui corpora accuratius diiudicant, non ad vires, animi affectibus et lauta ſaepe nutritione incenſas, ſed ad veram et abſolutam naturae praeſtantiam, reſpiciant, vigeſimo plerumque anno, quo oſſa confirmantur et in diaphyſibus et epiphyſibus coaleſcunt, abſolui incrementum cenſent: licet et hac in re differentia ſit, et foeminae vtplu-

vtplurimum citius viris ad plenarium incrementum perueniant.

§. 122.

Ex his forte signis iure Saxonico constitutum fuit, vt vigesimo primo aetatis anno iuuenes, qui hactenus curae tutoris commissi fuerunt, maiores et sui iuris fiant, licet ius Germanicum ad vigesimum quintum annum terminum extendat. Cum autem in rebus suis dirigendis ad animi magis, quam corporis vires, respiciendum sit, citius interdum, interdum serius terminum aetatis, qua quis sui iuris fit, summi imperantes definiunt.

§. 123.

Nec corporis nec animi vires per naturam in foeminis infirmiores sunt, cum autem interdum per caussas occasionales, v. c. quod corpora non adeo exercent, imbecilliores sint, praeterea grauiditatis, et puerperii tempore, inprimis per nutritionem infantis expropriis succis debilitentur, et ideo saepius rebus suis administrandis impares sint, curatoris auxilium exigunt.

§. 124.

Per media vitae stadia homines diuersa ratione decurrunt, et animi et corporis vires, morbi et imbecillitates in iudiciis interdum attenduntur, de quibus tamen in sequenti capite praecipue agendum erit. Senectus tamen ipsa morbus est, coniuncta saepenumero cum imbecillitate animi et corporis puerili. Post annum quidem quinquagesimum varia corpus afficiunt incommoda, antea non nimis percepta, cum nihilo minus vigor corporis et animi potissimum, saepius ad septuagesimum annum et vltra duret: nemo ergo a muneribus grauioribus in republica remouetur, nisi indicia virium deficientium ostendi queant.

§. 125.

§. 125.

Vltra centeſimum annum vitae terminus inter noſtros rariſſime producitur, plurimi ante ſeptuageſimum annum e viuis eripiuntur, inprimis cum ex diaetae neglectu remediisque, ſanitatem labefactatam reſtituentibus, minus apte applicatis, et morbi et praematurae mortes frequentiores ſint. Etſi itaque vitae terminus, quo quis abſens pro mortuo declarandus eſſet, longiſſimus figi, et ad centeſimum vsque annum produci deberet, quo tamen terminus hereditatis adeundae certus exiſtat, ii vtplurimum abſentes, qui ſeptuageſimum annum ſuperarunt, pro mortuis habentur.

CAPVT IV.

DE SIMVLATIONE ET DISSIMVLATIONE MORBORVM.

§. 126.

Et ſanitatem et morbum medici diiudicant, et inprimis actiones corporis laeſas, quatenus animi vigorem infringunt, ea propter examinant, quo in iis rebus, quae coram iudice aguntur, et ſimulati et diſſimulati, ficti ſcilicet et celati morbi, cognoſcantur. Licet vero haec ipſa morborum doctrina non tantum in rebus ad ius ciuile pertinentibus, ſed et in criminali atque eccleſiaſtico iure in conſilium vocanda ſit, praecipua tamen fundamenta nunc in genere explicabimus, nonnullis exemplis illuſtrabimus, et reliqua ad alia doctrinae noſtrae capita amandabimus.

§. 127.

§. 127.

Non tantum vero morbos ſaepe fingunt, qui labores fugiunt, mendici, quo eleemoſynis vel publicis vel priuatis nutriantur; iuuenes, qui militiam detrectant, qui ab aliis laeſi vel vulnerati noxam ſibi factam augent, ſed et illi, qui curatoris et tutoris vel aliud publicum officium ſuſcipere recuſant, vel definito tempore coram iudice comparere nolunt. Huic ergo excuſationi teſtimonio fidem facere in iudicio tenentur.

§. 128.

Morbos e contrario diſſimulant et celant, qui contagio aliquo peſtifero, venereo, ſcabioſo cet. affecti, ex ſocietate aliorum hominum quodammodo remouendi et in noſodochia publica transferendi ſunt, qui ob animi imbecillitatem vel periodicam amentiam ſuis rebus vel muneribus publicis praeeſſe non poſſunt. Sed quis omnia genera exponere poſſet, quae ad hanc et ſimilem tractationem pertinent? Noſtrum itaque erit, officium medici hac in re generatim definire, et ex praecipuis quibusdam morborum differentiis illuſtrare.

§. 129.

Non niſi medicus eruditus morbos eorumque gradus vere diiudicare poteſt, quoniam doctrina ſemiotica, quae ardua eſt, hic ſola viam recte monſtrat. Cum igitur hac in cauſſa non niſi medici bene exercitati iudicium ferre poſſint, medicaſtris fides habenda non eſt. Proinde vtique mos inualuit, vt iudex teſtimonia de morboſo ſtatu non probet, niſi a medicis promotis et iuramento obſtrictis exhibeantur.

§. 130.

§. 130.

Medici autem in teſtimoniis ſcribendis perpendant, nec fauori, nec alii leuiori cauſſae externae contra veritatem aliquid dandum eſſe, ſed ad ea exhibenda illos commouere debere rationem morbi, ex ipſis artis principiis diſquirendam, ita vt diagnoſis, vel nomine ſpeciali vel generali tantum indicato, vel laeſione breuiſſimis verbis deſcripta, exponatur, prognoſis poſtea ſiue noxa, plus minus inſignis, quae vel ex morbo in ſe conſiderato, vel ratione negotii ſuſcipiendi, de quo excuſandus eſt aeger, enaſci poſſet, indicetur.

§. 131.

Et chirurgi, publica auctoritate conſtituti et iuramento obſtricti, de vulneribus vel laeſionibus aliis, violenta manu inflictis, de vitiis et deformitatibus externis, poſt curationem laeſionum relictis, teſtimonia exhibere poſſunt, nunquam autem iudicium de laeſionibus per internas cauſſas aut inductis aut auctis addant, ſed medicis potius hoc definiendum relinquant. Si ad ſtatum corporis morboſum declarandum ſigna ab aliis teſtibus, qui ſcientiae medicae expertes ſunt, afferuntur, valere non poſſunt, niſi ab artis peritis antea diiudicentur et confirmentur.

§. 132.

De morbis itaque ipſis, eorumque ſymptomatibus, pharmacopoei teſtimonium exhibere nequeunt, interdum tamen de medicamentis ſimplicibus, compoſitis et praeparatis, quae in curationibus morborum exhibita fuerunt, ſententiam dicere poſſunt. Sed et haec teſtimonia rectius ab ipſis medicis exiguntur, quippe qui ſimul effectum ex therapia generali definiunt, vel experientia et aliorum obſer-

uationibus confirmant. Obſtetricum teſtimonia non niſi grauiditatis et puerperii ſtatum, nec non infantum morbos, ex externis tamen ſignis declaratos, concernunt. Et medicus aliquando harum aſſertis in teſtimoniis vti, ipſe vero ex ſignis praemiſſis concluſionem eruere poteſt.

§. 133.

Morbi leuiores, vt febres catarrhales, cephalalgia, dolores dentium et alii, in quibusdam tamen caſibus attendendi ſunt: nam ad breue tempus durationis ſuae, praecipue ſi externa tempeſtatum iniuria vel vehementiori animi affectu incitari et augeri poſſint, excuſant. Similis excuſatio in grauidis foeminis, vel infantem lactantibus, vel menſtruatis, locum habere videtur.

§. 134.

Non autem in his tantum corporis aegri diſpoſitionibus, ſed in morbis periodicis excuſatio ad tempus aliquod limitanda eſt. Febres enim intermittentes, potiſſimum eae, quae corporis vim extra paroxyſmum non prorſus infringunt, homines ad varia negotia ſuſcipienda aptos relinquunt. Cum autem alii morbi periodici pertinaciores ſint, v. c. inſultus arthritici habituales, vel epileptici motus per interualla recurrentes, in his maior excuſationis vis eſt, in primis ſi itinera vel alii difficiliores labores obeundi ſint.

§. 135.

Videndum eſt praeterea, vtrum corporis, an animi viribus negotium aliquod exſequendum ſit. Membra paralytica, ea inprimis, in quibus atrophiae ſigna ſimul apparent, herniae variae, gibboſitas cet. in iis actionibus, quae a corporis viribus pen-

pendent, omnino excusationem habent; quemadmodum et vlcera habitualia saepe huc referri possunt, in quibus tamen maxime ad loca, quae occupant, respiciendum est.

§. 136.

Qui continua melancholia et mania vexantur, et qui his similes sunt, stupidi, ad res omnes in republica gerendas inepti iudicantur. Deliria febrilia huc non pertinent; si tamen nonnulli per interualla sine febre delirent, et periodica amentia laborent, ideoque interdum sibi et aliis noxias, vel saepe ridiculas tantum actiones suscipiant, cum tempus paroxysmi in his non accurate definiri possit, ab actionibus omnibus, quae aliquam attentionem exigunt, excludendi sunt, nec rerum vel priuatarum vel publicarum gerendarum aliqua pars illis concedenda est.

§. 137.

In simulatione et dissimulatione morborum, magna cautio medici requiritur: minime enim ad ea, quae ab aegris ipsis afferuntur, sed ad naturae phaenomena, quae in corporibus apparent, attendendum est. Instituenda praeterea sunt varia tentamina, ex diuersis corporis actionibus collecta, quae morbum ipsum vel praesentem, vel absentem declarant: in quaestionibus etiam his proponendis, eo respiciat medicus, vt aegros fictos confundat, si forte inconstanter respondeant, et interea veram corporis et animi dispositionem curatius detegat.

§. 138.

Si duo pluresue simul vno ferme momento vel fulminis ictu, vel ruinis domus, vel naufragio perierint, ad ordinandam hereditatem superstitum non raro scire interest, qui ex demortuis prior perierit.

Hic temporis ordo ex probabili quodam corporis vigore, morbo resistente, vel debilitate hominem citius praecipitante concludi nequit, nec vnquam constitui, nisi ex cadauerum inspectione et sectione quaedam argumenta petantur, v. c. si vnius cadauer putredinis absoluta signa referat, et ventriculum cibis repletum sistat, cum alterum emaciatum tantum et vacuo ventriculo conspicuum inueniatur.

CAPVT V.

DE SOSTRIS.

§. 139.

Medicum pro consiliis et opera aegro praestita sostrum exigere posse ac debere, et aequitas rei postulat, et leges sanciunt: si igitur aegri, beneficii accepti memores, dignum laboribus et scientia medici praemium decernunt, eum ad curam inposterum adhibendam omnino excitant, quo non tantum vt externus auxilia cum officio coniuncta praestet, medicamenta praescribat, et consilio adsit, sed etiam vt amicus in tristi morborum progressu adhortatione et solatio aegrum sustineat.

§. 140.

Quando autem aegri conualescentes auxilii praestiti immemores sunt, vel plenariam restitutionem sanitatis praestitam fuisse negant, vel tandem heredes post aegrorum obitum non vera auxilia applicata fuisse perhibent, ideoque mercedem soluere detrectant, statuendum est aliquod operae praestitae pretium, quod si debitores soluere recusant, iudicis auxilio

lio exigendum, qui vel ex rei aequitate decernit, vel a collegiis medicorum iudicium ſuper hac re poſcit.

§. 141.

Humanus eſt medicus, qui pauperibus auxilium ſine ſoſtro fert, neque tamen, ſi aequitatis ſtudioſus videri velit, emungat mediocris ſortis homines, qui etſi mercedem exactam ſoluere poſſunt, hactenus tamen laeduntur, quod morboſae diſpoſitioni, quae iam ipſa calamitas eſt, aliam calamitatem, indigentiam rerum, ad ſanitatem conſeruandam requiſitarum, adiungit. Indigna tamen eſt ſors medici, cui, quod a pauperioribus vix exigere poteſt, dignum laborum praemium, a ditioribus quoque denegatur.

§. 142.

In hac itaque re, a medico poſcente et iudicio et collegiis medicis recte definienda, variae non raro oriuntur difficultates. Si enim grauitatem auxilii tantum aeſtimare vellemus; ſi ad morbi periculum et durationem; ſi porro ad ſcientiam medici et inde pendentem praeſtantiam auxilii; ſi tandem ad labores ſaepius taedii plenos reſpiceremus, ab artis peritis non tantum, ſed ab iis etiam, qui ſanitatem recuperant, magnum pretium eſſet ſtatuendum: cum autem ſimul facultates aegri perpendendae ſint, id quod ſaepe rite definiri nequit, magna inde oritur dubitatio.

§. 143.

Norma exactionis variis conſtitutionibus medicis, et his annexa aeſtimatione laboris, quae taxa dicitur, praeſcripta eſt *), et primae morbi diſquiſitioni florenus vel imperialis, reliquis viſitationibus aegri cum vel ſine remedii formula ſcripta, ſex vel octo groſſi ſtatuuntur. Remedii formula ſola trium vel

 qua-

quatuor groſſorum ſolutionem exigit. Si itineris incommoda accedunt, ſi nocturno tempore ab aegro requiritur medicus, duplum vel accommodatum pretio ſtatuto augmentum additur, quae quidem cuncta ad morborum, ſine vehementi impetu progredientium, curationem applicari poſſunt.

*) vid. *Generaltaxordnung ſowohl vor die Medicos und Chirurgos, als die Apotheker im Herzogthum Schleſien, Breslau* 1744. quippe quae aeſtimatio ad noſtra tempora maxime accommodata eſt.

§. 144.

Sed cum aegroti in magnis morbis, et ſubitaneis eorundem viciſſitudinibus, praeſentiam medici crebriorem expetant, vel ipſa neceſſitas attendendi mutationes morborum medicum, non flagitantibus aegris, vrgeat, quo plus laboris et ſtudii impendat, et ideo non omnes labores in viſitatione aegrorum et formulis praeſcribendis ſigillatim expendere poſſit, ſoſtrum in morbis diuturnis minus, in breuioribus maius poni poteſt; ita vt aequum ſit, in homine mediocris ſortis laborum per hebdomadem praeſtitorum pretium, in chronicis et per plures menſes protractis ad duos vel tres, in acutis ad quatuor vel quinque imperiales extendere.

§. 145.

Creſcit vero et interdum decreſcit pretium ſtatuendum, ex conditione vrbis vel opulentioris vel minus celebris, ob pretia rerum in his diuerſa; ex ratione facultatum aegri, cum ditiores ſine vlla, pauperiores imminutione facta ſoſtrum ſupra expreſſum ſoluere teneantur; ex morbi grauioris vel leuioris indole, inprimis enim curationi morborum contagioſorum, malignorum et cum operatione chirur-

gica

gica grauiori coniunctorum, quoniam maior labor eſt, maius ſoſtrum ſtatuendum erit. Cum duo pluresque medici ad aegrum vocati ſunt, inter illos ſoſtrum non partiendum, ſed cuiuis praemium integrum ſoluendum.

§. 146.

Simili ratione et chirurgi ſoſtrum definiendum eſt; huic enim primo aeſtimatio externorum medicamentorum, quae ab eo praeparantur et exhibentur, et praeterea hebdomadarium ſoſtrum vnius vel duorum vel trium imperialium, in mediocris quoque ſortis aegris, prout labores vel aucti vel parciores ſunt, conceditur. Operationes ex grauitate aeſtimantur, ita vt venaeſectioni pretium ponatur octo vel ſedecim groſſorum, reliquis vero magis arduis v. c. lithotomiae et herniotomiae decem vel viginti imperialium, et ſic in reliquis, ſeruata proportione laboris, et ſtudii, et apparatus inſtrumentorum, et numeri miniſtrantium.

§. 147.

In medicamentis a pharmacopoeo exhibendis pretium quidem ex ſic dicta taxa ſtatui debet, nec hac in re ditiorum aegrorum conditio attendenda eſt, cum medici vtplurimum his pretioſiora praeſcribant medicamenta. Pretia quorundam ſimplicium v. c. rhabarbari, corticis peruuiani cet. inprimis ſi, vt aequum eſt, ſelecta et incorrupta propinentur, interdum inſigniter variant, ideoque his et aliis, laborioſa praeparatione conficiendis medicamentis, maius quoque pretium, quam quod in taxa exprimitur, ſtatuendum erit. Pharmacopoei pro conſiliis exhibitis ſoſtrum exigere nequeunt. §. 71.

§. 148.

Si patres familiarum medico et chirurgo annuum ſoſtrum ſtatuunt, quo conſilia et remedia prophylactica exhibeant, monitisque ſuis morbos imminentes ſedulo auertant, dignum et laboribus conueniens praemium ſit, ex arbitrio vtriusque partis ſtatuendum: in morbis tamen grauioribus, magno ſtudio et labore curandis, peculiare ſoſtrum omnino exigere poſſunt medentes. Cum etiam annua ſoſtra raro per pacta definita ſtatuantur, ſed arbitraria ſaepe ſint, ex vtraque parte ſolui, et de vero laborum pretio ex ſuperius propoſitis decerni poterit.

§. 149.

Si defuncti bona, creditorum concurſu oborto, venduntur, medici in ſoſtro vltimi morbi accipiendo reliquis creditoribus praeferuntur: ſi vero vel ex praecedenti quodam morbo, vel ob curationem relictae viduae vel liberorum, ſoſtrum exigunt, reliquis creditoribus pares iudicantur. Hoc in morbis acutis certo definiri poteſt, in chronicis non aeque, ſemper tamen ad vltimi morbi grauitatem in aeſtimando pretio reſpiciendum eſt.

§. 150.

Chirurgis et pharmacopoeis ſoſtrum pro curatione morborum internorum denegandum eſt, quoniam praeſente medico illas ſuſcipere non debent. Si tamen debita reſtrictione ad praxin medicam admiſſi ſunt, §. 56. vel ſi oſtendunt, per aegri conditionem medicum arceſſi non potuiſſe, ex aequitatis lege ſoſtrum illis omnino adiudicandum eſt. Circumforanei vero et alii medicaſtri, cum in re illicita verſentur §. 55. nec ſoſtrum, nec medicamentorum exhibitorum pretium exigere poſſunt.

TRA-

TRACTATIO II.

DE QVAESTIONIBVS IVRIS CRIMINALIS.

§. 151.

Amplissima certe et difficillima est ea iurisprudentiae pars, quae criminum inuestigandorum et puniendorum rationem definit, hinc et medicinae forensis ea tractatio, quae caussas et effectus criminum ex principiis physicis diiudicat, innumeram certe seriem rerum contemplandarum complectitur: cum autem impossibile sit, omnia facta legibus contraria, quae ex corporum natura declaranda sunt, breuiter enarrare et expendere, praecipua tamen annotare, et vt normam reliquorum proponere suscipimus.

§. 152.

Praemissis itaque nonnullis annotationibus et monitis de certitudine facti physico medica recte definienda, praecipuas laesiones, vt mortis et morborum caussas, ad normam praecipuarum corporis partium, in variis sectionibus examinabimus, porro subsidia eruendae veritatis diiudicabimus, deinde poenas afflictiuas corporum pertractabimus, tandem de momentis defensionum medicis nonnulla expo-situri sumus; ita enim fundamenta difficillimae huius doctrinae optime tradi posse confidimus.

CAPVT I.

DE CERTITVDINE FACTI PHYSICO MEDICA.

§. 153.

In factum legi contrarium a iudice ſtudioſe inquirendum eſt, quo eius certitudo, quantum fieri poteſt, cognoſcatur, et auctor criminis et ſubſidia, quibus vſus eſt, et effectus inde pendentes eorumque cauſſae recte detegantur. Si igitur hac in re ſigna, ex corporum naturalium diſquiſitione petita, occurrunt, veritas non, vt decet, erui poteſt, niſi artis periti ex principiis phyſico medicis eadem definiant.

§. 154.

In facti nimirum illiciti vel criminis inquiſitione et auctor criminis, et teſtes, quotquot haberi poſſunt, examinentur, poſtea hi, ſi opus eſt, cum reo conferantur, et cum variae res corporeae earumque mutationes, vt ſigna, allegantur, in eas rite inquiratur, quo corpus delicti, quod dicitur, ſeu res in ſenſus incurrens, et per quam criminis perpetrati vera ratio declaratur, conſtituatur. Hoc quidem in variis factis ita apertum comprobatumque eſt, vt a iudice et iis, qui ſententiam ferunt, facile cognoſcatur.

§. 155.

Cum vero rerum corporearum, hoc eſt effectuum, in corporibus occurrentium, et cauſſarum, a quibus pendent, diſquiſitio difficilis ſaepe ſit, et multa lateant, ſtudioſo examine demum reuelanda, medicus forenſis ex rerum natura et cauſſis haec cuncta definire tenetur, quo certitudo facti phyſico-medica, et ſic dictum corpus delicti, quantum fieri poteſt,

poteſt, eruatur, et ita inquiſitioni a iudice ſuſcipiendae vera lux accendatur.

§. 156.

Etſi itaque ipſa iudicis ſagacitas in facti diſquiſitione multa illuſtrat et detegit, tum ipſa confeſſione ſontis ſaepe veritas et omnimoda certitudo attingi videtur; denique teſtes aduocati rationem facti egregie declarant: optimum tamen eſt, ſi res ipſa ex ſignis corporeis cognoſcatur, quod in re ardua, quae vitam hominis vtplurimum concernit, non ſatis attenti eſſe poſſumus. Defenſores enim reorum, niſi corpus delicti rite conſtitutum ſit, nimiam ſaepe ſontes poenae ſubducendi, nullam inſontes excuſandi nanciſcuntur occaſionem.

§. 157.

Cum itaque corpus delicti ſit res corporea, ideoque ſenſibus ſubiecta, primae omnino partes viſui conceduntur, qui de effectibus et cauſſis corporum naturalium, per eorum mutationes obſeruatis, optimum iudicium ferre poteſt, quamobrem et nonnullis corpus delicti, viſum repertum appellatur. Minime vero olfactus vel alii quoque ſenſus, pro re nata, in corporis delicti diſquiſitione excludendi ſunt, ſi v. c. in veneno laedente arſenici praeſentia per odorem alliaceum, vel vteri conſtitutio ante vel poſt partum tactu diſquiritur.

§. 158.

Facti quidem diſquiſitio non vnice ad medicum transferenda eſt, ſed iudex ipſe omnes, quae in crimine occurrunt, mutationes attendat; optime tamen actum eſt, ſi medici in corpore delicti definiendo adeo accurate verſari poſſunt, vt non tantum effectus, ſed etiam cauſſae, et auctor facti, et modus, quo hoc peractum fuit, definiantur. Infantem haemor-

rhagia

rhagia mortuum fuisse, vacuitas vasorum ostendit; funiculus breuis non obligatus est caussa effusi sanguinis; praesectus funiculus factum indicat, quod a violenta manu, instrumento ad resecandum apto instructa, nec a casu fortuito, ruptura scilicet spontanea, euenire potuit.

§. 159.

Quicunque medicus aegro cuidam medelam affert, in quo laesionis caussa vel violenta est, vel talis existimatur, omnia quidem morbi symptomata recte annotet, et laesionis phaenomena discernat: idque non tantum ratione curationis praestandae, sed etiam ideo fit, quo, si euentus sinister sequatur, corpus delicti ab eo declarari possit. Haec attentio eo magis necessaria est, si factum iam ad iudicem delatum fuit, qui rationem laesionis eiusque effectus a medico et chirurgo forensi indicandos exigit, quo in auctorem inquirere et poenam definire queat.

§. 160.

Haec, quae in corporibus viuis colliguntur, phaenomena, a medicis et chirurgis artis peritis consignata, priuatae quidem sunt annotationes: si tamen in his vera artis peritia cognoscitur, et laesiones indicatae effectusque inde pendentes rerum naturae respondent, omnem, qui in corpore delicti definiendo requiritur, habent valorem, et quae postea consequitur mutatio, in sanitatem, morbum diu durantem, laesionem actionis permanentem, vel mortem, iudicem de poena decernentem, vel in rem vlterius inquirentem ita instituit, vt has res obseruatas vel a iuratis recipere, vel iuramento confirmatas ad acta referre possit.

§. 161.

§. 161.

Grauior nimirum eſt rei diſquiſitio, ſi afflictus moritur: in aliis enim caſibus reus de dammo illato, vel ex toto vel ex parte reparando, cogitare, vel iudicis auctoritate eo impelli poteſt; in laeſionibus vero, mortem inferentibus, vbi quaeritur, an reus dolo, aut culpa, aut caſu fortuito facinus perpetrauerit, in corpore delicti conſtituendo accuratius verſandum eſt, quo certitudo facti exacte definiatur.

§. 162.

Cum vero hoc in caſu inſpectio vel ſectio cadaueris defuncti maxime neceſſaria ſit, in republica bene conſtituta omnes, qui inſolito et incognito mortis genere, vel ſine teſtibus fide dignis in viis publicis, vel in locis ſolitariis, moriuntur, in quibus nimirum ſuſpicio alicuius violentiae illatae ſubeſſe poſſit, a iudice, medico et chirurgo inſpiciantur, et ſi mortis cauſſa non ſatis apparet, ſectione cadaueris facta vlterius perluſtrentur, quo vel violentiae vel latentis morbi indicia detegantur. §. 94.

§. 163.

Si quis in cryptis ſubterraneis ruina terreae molis ſuppreſſus, aut fumo carbonum, halitu minerali ſulphureo, vel fermentantis cereuiſiae vel vini nouelli ſuffocatur, aut fulmine tactus, aut aquis ſubmerſus eſt, aut ob ſenium apoplecticus occidit, vel alio mortis ſubitaneae genere, a medicis vlterius et ex cauſſis veris definiendo, ſubito interemtus eſt, nullaque alia violentiae externae ſigna apparent, inſpectio ſola ſeu ſuperficiei corporis accurata perluſtratio ſufficere videtur.

§. 164.

Quod ſi vero ex hac perluſtratione non definiri poſſit, vtrum quis ſibi ipſi manus violentas intulerit,

an

an potius laesione mortifera ab alio inflicta, vel veneno sumto, perierit, et factum ipsum nunc ignotum, per alia indicia et testes inposterum manifestandum, et ideo disquisitio iudicis necessaria reddi possit, sectio cadaueris et accurata partium internarum disquisitio institui debet, quo corpus delicti rectius pateat.

§. 165.

Hac in re primarios iureconsultos consentientes habemus: sunt tamen aliqui, qui sectionem cadaueris minus necessariam esse existiment, et perhibeant, indignum iuris peritis esse, a medicis consilia petere. Nemesin Carolinam non sectionem, sed tantum inspectionem cadaueris exigere; disputationem super lethalitate esse superfluam, hanc enim ex circumstantiis et effectu satis patere; excusationes ex sectione saepe homicidas impune dimittere; ad facti certitudinem demonstrandam, voluntatem aggressoris, instrumentum lethiferum, et immediatam mortis sequelam sufficere; excusandi rationes ex aetate, vel animi statu homicidae, vel ex moderamine inculpatae tutelae, vel ex aliis facti circumstantiis peti posse.

§. 166.

Non quidem negamus, homicidia satis certa sectionibus cadauerum interdum dubia reddi, si vel a parte iudicii, vel a parte medici et chirurgi secantis, aliquid negligitur, ideoque ratio corporis delicti non satis exponitur. Non improbamus iureconsultos, si in corpore delicti, ex sectione cadaueris dubio relicto, alias facti circumstantias accurate perpendunt, et inde ad poenam capitalem vel aliam concludunt; id tamen vrgemus, sectionem cadaueris tunc semper necessariam esse, quando mortis caussa non luculenter apparet, quo et ex illa verae facti ratio-

rationes peti queant, et licet §. 165. adductae rationes facile refutari possint, omni tamen disceptatione omissa, nonnulla, quae nostram sententiam firmant, argumenta adducturi sumus.

§. 167.

Ius naturae accommodatam delicto poenam exigit, hinc omnino disquirendum est, vtrum ex aggressoris actu mors certo sequuta fuerit, an haec casu euenerit. Ille enim, qui alterum in vitae periculum coniicit, non ita puniendus est, vt ille, qui certo occidit. Ius naturae porro omnibus vitae tutelam concedit, ideoque et delinquenti, qui, sectione cadaueris neglecta, et caussa mortis non rite disquisita et definita, nulla habet defensionis momenta.

§. 168.

Nec mors certa, nec voluntas aggressoris, nec instrumentum lethiferum ad delictum comprobandum sufficiunt, nisi et homo occisus consideretur. Infanticida v. c. manum violentam infanti iniicit, idque deliberato, nec deficit eius confessio, vulnus lethiferum in infante certum est, sed per alia signa quoque corfirmatur, infantem iam in vtero mortuum fuisse, hinc saeuitiam suam non in viuum, sed in mortuum infantem exercuit rea, alia itaque poena in volentem, alia in eam, quae certo eandem patrauit, statuenda est.

§. 169.

Quomodo porro, si quis multis vulneribus a diuersis hominibus laesus fuerit, quodnam vulnus lethale pronunciandum sit, sine sectione detegere poteris? Non sufficit diuersi instrumenti laedentis considerațio, quorum vnum obtusum, alterum acutum deprehenditur, cum non externa vulneris figura, sed interna laesio effectum definiat. Et si in tumultua-

tuario actu occidendi non semper certus inueniatur auctor, iudicis tamen officium est, vt in re dubia corporis delicti certitudinem definire tentet, quo si non semper, interdum tamen, facti veritas inde eruatur.

§. 170.

In lucta saepe dubium est, vtrum is, qui caput trahit, an alter, qui resistit, mortis subitaneae caussa dicenda sit; et si forte aqua in cauitatibus cerebri reperta, aneurysma arteriae aortae, vitium lienis, vel alia visceris laesio, praedisponens mortis caussa sit, occasionalis ab aggressore facta, quae in sano mortem non intulisset, licet eam in aegro produxit, caussa proxima non iudicanda est; cum tamen vnice ad hanc respiciendum sit, aggressor, non nisi ex disquisitione laesionis, vel inculpandus vel excusandus est.

§. 171.

His, quae nunc ad inspectionis et ipsius sectionis cadaueris necessitatem comprobandam adduximus, rationibus, aliae adhuc plures in ipsa tractatione accedent. Iudicis autem praesentiam in instituenda sectione ideo necessariam esse diximus, quo secantes testes habeant fide dignos, qui ipsi cognoscant, qualis fuerit partium laesio: priuata enim medici iurati sectio, licet illi fides deneganda non sit, nunquam tamen in caussa sanguinis definienda valorem habet sufficientem.

§. 172.

Medicus autem et chirurgus a iudice ad sectionem faciendam requiruntur: ille dirigit disquisitionem, alter secat; sed et medicus interdum, si res ardua definienda est, v. c. in laesionibus vasorum et neruorum, ipse sectionem suscipiat. Forte

autem

autem vnus vel alter ſufficit, dummodo vera cognitione fabricae corporis inſtructus ſit; nemeſis enim Carolina vnicum exigit chirurgum, hoc eſt, virum artis anatomicae gnarum, quales tunc temporis chirurgi exercitatiſſimi inueniebantur. Et medicus, qui aegrum curauit, et chirurgus, qui vulnus tractauit, ſectionem adminiſtrare poſſunt, niſi forte delicti auctor contradicat, eosque negligentiae in medendo accuſet, quo in caſu tamen ſimul praeſentes ſint, et ſi quid monendum occurrat, illud in ipſo actu ſectionis vrgeant.

§. 173.

Ne autem corpus delicti, ſectione facta, magis obſcuretur, quam illuſtretur, in genere admonemus, et medicum et chirurgum iuramento ad ſectionem faciendam adſtringi debere, niſi iam antea eo obligati ſint. Viros itaque probos in diſquirenda corporis fabrica, et in diiudicandis laeſionum cauſſis exercitatos, ad ſectionem eligendos eſſe patet, ne tumultuarie fiant, quae ordine ſuſcipi debent. Etſi vero omnium diſſectionum non vna conſtitui poteſt norma, a re tamen alienum non erit, quasdam annotationes vniuerſim proponere.

§. 174.

Antequam ſectio inſtituitur, externa corporis perluſtratio ſuſcipiatur, quo laeſiones, in ſuperficie occurrentes, notentur, inde enim ad veram vel tantum probabilem mortis cauſſam, ex laeſione oriundam, ducimur: ideoque non tantum ſugillationes manifeſtae *), vel tantum rubor aut liuor partium, ſed praecipue vulneris inflicti locus, magnitudo et figura vere definiantur, tumores in corpore oriundi, vel a cauſſa violenta, vel ab alio morbo pendentes, diſcernantur, ſigna putredinis in ſecedente

cuticula, vel passim in corpore vel in quadam tantum parte obseruentur. In infantibus recens natis pili et vngues, nec non corporis mensura, in genere vero vel macilentus et tabidus, vel obesus et succiplenus status indicentur.

*) Hinc eo quoque respiciendum est, ne medicus secans maculas a sanguine in integumentis stagnante, post mortem tantum non in omnibus conspicuas, pro sugillationibus, a caussa externa illatis, habeat.

§. 175.

Praeterea humores, ex ore vel aliis corporis orificiis, vel ex vulnere effluentes, non negligendi sunt. Hroum enim praesentia interdum veram laesionis internae indolem indicat, interdum tantum eius suspicionem mouet. Si v. c. calua integra esse videtur, magna tamen sanguinis copia ex auribus effluxit, absconditam quandam baseos caluae fracturam subesse posse colligitur. Copiam effluxi sanguinis non inuenire possumus, si cadauer, vt saepe fit, e loco delicti in alium transportatum fuit, vestigia tamen eiusdem occurrentia sine attentione praetermittenda non sunt.

§. 176.

Si quando nulla laesionis externae signa inueniuntur, tamen, vbi violenta vel subitanea mortis caussa suspicionem tantum iudici mouet, disquisitio interna non intermittenda est, §. 164. seqq. potest enim laesio interna inueniri, vbi externa vel nulla, vel exigua est. Venena et suffocatio externis signis non satis declarantur. Etiam cum lethalitas vulneris iam ex externis signis patet, inspectio vtique requiritur, ne defensor friuolas quasdam adducat excu-

excuſationes, quae ex perluſtratione partium facile refutari poſſunt.

§. 177.

Externis cadaueris partibus rite diſquiſitis, integumenta corporis et communia et propria in iis locis, vbi aliquae laeſiones deprehenſae ſunt, ſucceſſiue diſquirantur, et ita ad partes internas procedatur. Deſcriptiones enim partium, licet ex denominationibus regionum corporis, ab anatomicis definitis, in leuiori laeſione optime ſumi poſſint, in re ardua tamen, et ſi vulnus lethale altius penetrauit, ſuppoſitae partes laeſae ſemper ſimul indicandae ſunt, quo laeſionis ſucceſſiuae ratio accuratius definiatur.

§. 178.

Tres ſunt cauitates corporis praecipuae, in laeſionibus attendendae, encephali ſcilicet, pectoris, et abdominis. In ſectione itaque ab ea incipiendum eſt, in qua laeſionem praecipue factam eſſe cognoſcimus, ne alias nec adeo neceſſarias partes diſquirendo, viſcera in illa parte, in qua laeſio princeps eſt, trahendo vel alio modo mouendo, ex ſede diducantur. Sic v. c. ſi laeſiones ventriculi et inteſtinorum per effuſos humores vel alia ſigna cognoſcuntur, thorax non niſi abdomine diſquiſito perluſtretur.

§. 179.

Similiter neceſſarium videtur, circa vulnus inflictum partes non inconſiderate diſcindere, antequam progreſſum laeſionis diſquiſiuerimus: haec vero perluſtratio non niſi attenta reclinatione partium efficienda eſt. In viſceribus enim collapſis nec ſpecillum, nec inſtrumentum, quod laeſionem effecit, iterum ingeri debet, ne nouae laeſiones fiant. Haemorrhagia lethalis ſtatum cordis et vaſorum primo

 atten-

attendere docet. Nemo itaque in infanticidio diiudicando experimentum pulmonis in aqua natantis vel submersi prius instituat, quam vasorum maiorum vacuitatem et plenitudinem inquisiuerit.

§. 180.

Putredo in cadauere iam ingruens corporis delicti disquisitionem vel quodammodo impedit, vel prorsus impossibilem reddit; in principio tamen, quanquam cum aliquo secantium incommodo, disquirendum adhuc est, an effectus violenti ab effectibus putredinis discerni queant: quapropter etiam inprimis aestiuo tempore iudex eo respiciat, ne sectio legalis procrastinetur, vel si aliter fieri nequeat, cadauer defuncti in locum temperatum vel frigidum transferatur, quo diutius a putredine defendatur.

§. 181.

In initio putrefactionis, cum cuticula nimirum secedere incipit, internae partes saepe perlustrari possunt, ea vero protracta et carnes iam depascente, disquisitio tantum non semper inutilis est: licet enim fracturae ossium, inprimis caluae, interdum conspici queant, licet exempla pulmonum putridorum, in aqua tamen subsidentium, adducantur, in caussa tamen mortis vere definienda varii putredinis gradus iudicium incertum reddunt. Cum etiam partes laesae, inprimis contusae, citius quam sanae putrescant, haec mutatio in disquirendis corporibus nunquam negligenda est.

§. 182.

Offerunt se etiam, in constituendo corpore delicti, quaedam ad cadaueris ipsius inspectionem non pertinentia, sed tamen attendenda. Si aegrotus laesus fuit, ea, quae morbum antecedentem concernunt,

nunt, vel a medico ſecante, vel ab alio ſeparatim recenſenda, nec ſectionis relationi iungenda ſunt. Si vero viſcerum laeſiones ex morbo aliquo antecedente oriundae occurrunt, illae in ſectione quidem ipſa annotandae, ſed a laeſionibus violentis diſcernendae ſunt: alia vero v. c. vtrum vulneratus eo in loco, vbi deprehenſus eſt, mortuus ſit, an ab amicis vel viuus vel moribundus, in alium locum delatus fuerit, vel a medico indicanda, vel a iudice, de diſquiſitione corporis delicti ſollicito, in actis annotanda ſunt.

§. 183.

Haec certe ſunt praecipua de officio medici ſectionem dirigentis. Cum vero et ea, quae in ſectione deteguntur, iudici oſtendere et ſuccincte recenſere debeat, quo ab actuario praeſente conſignari queant; cum ille porro relationem vberiorem elaborare, eandem cum chirurgo, qui ſectionem fecit, ſubſcribere, et ita ad acta tradere teneatur, pauca a nobis exponenda ſunt, quae eum ad hanc rem accurate praeparare poſſunt.

§. 184.

In ipſo ſectionis actu medicus non niſi ea, quae in cadauere vere inueniuntur, et quae vt laeſiones corpori illatas, vel vt earum cauſſas praeſentes oſtendere poteſt, iudici exponat, et actuario notanda dictitet. Si itaque inſtrumenti vel corporis laedentis partes v. c. globulos plumbeos paſſim, vel veneni particulas ventriculo adhaerentes, deprehendit, illas colligat et ad acta referat; minime tamen neceſſarium eſt, partes cadaueris v. c. fractas caluae partes, multo minus partes molles, in ſpiritum vini immittendas, conſeruare. Fida enim inuentarum rerum recenſio ſufficit,

ficit, inprimis cum collectae corporis delicti partes vel incompletae ſint, vel mutationi obnoxiae.

§. 185.

In enarrandis laeſionibus cadaueris ordine procedendum eſt, quo omnes accurate lingua patria enuncientur, et, licet interdum neceſſe ſit, vocabula artis immiſcere, vbi germanica vel non inueniuntur, vel minus vſitata ſunt, haec tamen, ſi fieri poteſt, breuiter explicare, et nimiam verborum latinorum copiam euitare conuenit, quae ſaepius a teſtibus in iudicio praeſentibus non intelliguntur. Nec obſcuris et ambiguis vocabulis et dictionibus vtatur ſecans, ne facti certitudo explicanda magis incerta reddatur, ſed res omnes vera fide hiſtorica conſignentur.

§. 186.

In relatione, a medico poſtea exaranda, et, nomine chirurgi ſimul ſubſcripto, ad acta transferenda, regiſtratura ſic dicta, in ipſa ſectione conſignata, fundamenti loco habenda eſt. Caueat itaque medicus, ne relationi inſerat nouas, in actu ſectionis non allegatas circumſtantias, ſed fugitiuo calamo exceptas, attamen certas res accurato ordine repetat, et ſcriptione vberiori exprimat, iudicium ſuum de laeſionibus inuentis addat, idque ex collectis obſeruationibus probet, nec hypotheſes medicas, nec coniecturas immiſceat, ſed omnia ex phaenomenis declaret; in re autem ardua vel omnino dubia iudicium ſuum ſuſpendat, et collegio medicorum relinquat, quid ex conditionibus non adeo manifeſtis concludendum ſit.

§. 187.

In his quidem facile iudicium ferri poteſt, ſi corpus delicti recte definitum inueniatur §. 158. Cum vero in diſquiſitione facti phyſico medica veritas indagan-

daganda et eruenda ſit, nec confeſſio ſontis ſimul attendi queat, in re difficili vere definiendum eſt, vtrum factum tantum attentatum, an abſolutum ſit. Sic venenum aliquis dedit, quo alterum interficeret, ſed res laedens vel ea non eſt, quae mortem, vt venenum, inducere potuerit, vel ſi vere venenum exhibitum fuit, aut leuiſſimus eius effectus a diſpoſitione acrium humorum auctus, aut a viſcido in primis viis deprehenſo, imminutus fuit: abſoluta igitur veneni vis, a relatiua, ad hoc ipſum corpus comparata, ſedulo diſtinguenda eſt.

§. 188.

Interdum etiam de facti auctore detegendo, non de facto ipſo, iudicium medicum quaeritur, ſi v. c. inſtrumentum laedens, quo vnus alterque aggreſſorum vſus fuit, definiendum eſt; ſi de pueri vel ſenis vi in efficienda laeſione, an ad factum abſoluendum ſufficiens fuerit, iudicandum eſt; ſi mortuo infante deprehenſo, an ab hac vel illa foemina, quae ſigna puerperii oſtendit, natus fuerit, diſquirendum eſt; ſi mater melancholica infantem occidit, et eius animi ſtatus, ex cauſſis corporeis pendens, declarandus eſt.

§. 189.

Neque ſemper adeo felices ſunt medici, vt ab effectu certo ad cauſſam regredi eamque definire queant. Interdum infans in partu viuus, et paulo poſt mortuus, nulla ſigna violentiae externae praebet, vel ea, licet praeſentia fuerint, a medico ſecante negliguntur, quo in caſu mors quidem certa eſt, ſed nulli effectus enumerari atque adduci poſſunt, ex quibus ad cauſſam violentam concludi poſſit. Quod ſi etiam medicus dubias quasdam obſeruationes ex-

poſuerit[1], corpus delicti tamen incertum manet, cum illud non niſi accurate definitum aſſumi queat,

§. 190.

Saepe etiam ex ea cauſſa dubium redditur corpus delicti, quod non ſatis diſcerni poteſt, vtrum inſtrumentum laedens, aut medicamentum et venenum cauſſa caedis fuerit, an alia in corpore antea exſtiterit, quae mortem vel adduceret, vel etiam accelleraret: vt ſi viſcus corruptioni obnoxium citius deſtructum, vel bilis iracundia agitata morbum auxerit. Etſi enim effectus alter non niſi ex laeſione violenta acceſſit, definiendum tamen eſt, vtrum laeſio ſola, an acceſſoria quaedam diſpoſitio morboſa corporis mortem attulerit. Haec cuncta quidem a medicis inueſtiganda et commemoranda ſunt, liberum tamen de poena decernenda iudicium iureconſultis relinquitur.

§. 191.

Quanquam ergo ampliſſimam de certitudine facti medico phyſica tractationem dedimus, multa tamen ad hunc locum abſoluendum ſuperſunt, nec enim omnes caſus enarrare, aut ad placita generalia referre poſſumus. Hic tantum fundamenta rerum vlterius indagandarum et definiendarum iacere voluimus, plura capite proximo, quod laeſionum lethalitatem examinat, expoſituri ſumus.

CAPVT

CAPVT II.

DE LAESIONIBVS MORBORVM ET MORTIS CAVSSIS.

§. 192.

Cum haec tractatio, quam ingredimur, praecipuam iuris criminalis partem a medicis declarandam contineat, ideoque amplissima sit, eandem in varias sectiones diuidere ordinis ratio suasit. Lethalitatis itaque ideam et distinctionem primum examinabimus, porro de infanticidio fusius agemus, et vulneribus variarum partium sigillatim consideratis, tandem de inepta medendi ratione dicemus. Singula autem haec loca ex veris artis medicae principiis dilucidare tentabimus.

SECTIO I.

DE LETHALITATIS IDEA ET DISTINCTIONE.

§. 193.

Medicus de laesione, ex qua effectus noxius ortus est, ex rationibus physicis iudicaturus, inter caussam praegressam et mutationem sequentem comparationem instituit. Vt itaque caussas morborum, sponte, vel sine violentia externa nascentium, cum statu sano confert, sic et nunc laesionem aliquam violentam ad eandem normam exigit, vt appareat, quomodo laesio illata motus varios corporis ordinatos vel perturbare, vel prorsus infringere potuerit.

§. 194.

Quod ſi laeſio violenta vnica cauſſa eſſe dicitur, cuius vi, vix applicata, intra breue temporis ſpatium homo occiſus fuit, ſine multis ambagibus proximus hic effectus immediate ex cauſſa manauit; ſin e cauſſa violenta diſpoſitiones tantum morboſae corpori inductae fuerint, ex quibus tandem ſymptomata varia et ipſa mors paulo tardius, hoc eſt poſt plures dies aut hebdomades, orta eſt, ſeries cauſſarum omnino examinanda videtur, quo pateat, vtrum cauſſa laedens, an omiſſio iuſti auxilii euentum triſtem attulerit.

§. 195.

Semper quidem certum eſt, hominem ex laeſione violenta mori, quamobrem lethalitas ex ea repeti debet; cum autem interea auxilia non deficiant, quae laeſionis effectus corrigere, eorumque progreſſum noxium et lethalem coercere poſſint, in vera facti diſquiſitione non tantum noxa, ſed et omiſſio auxiliorum perpendenda eſt. Nec ſufficit oſtendere, laeſionem eſſe cauſſam primam; eſt enim tantum occaſionalis remota, quae proxima mortis cauſſa nunquam dici potuiſſet, niſi praeter eam aliae acceſſiſſent.

§. 196.

Inde vero non colligi poterit, in morte, laeſionem multo poſt ſequuta, ſemper de omiſſione auxilii cogitandum eſſe, ſed ex laeſionis primae effectibus, vna ſerie deductis, mors euenire ſolet, ita vt vere oſtendi poſſit, laeſionem illatam omnium ſuccedentium mutationum rationem neceſſario in ſe continere. Acutae febres nono die vtplurimum iudicantur, laeſionum vero violentarum effectus ad hanc normam non exigendi ſunt; licet enim febres ſym-

ſymptomaticae haud raro laeſionibus accedant, ex illis tamen harum grauitas non vnice iudicanda eſt, ſed ſola perſiſtens nec vllo modo refrenanda cauſſa, etſi tardius in effectibus continuatis euoluatur, mortem inducere cenſenda eſt.

§. 197.

Morbi ratione effectus conſiderati (i. m. §. 991) tunc lethales dicuntur, quando vel ſubitaneam, vel certam etiam, licet quodammodo protractam mortem afferunt; inſanabiles vero morbi ſunt, qui nec naturae, nec medicamentorum viribus cedunt. Lethalitatis itaque idea cum morbis, quae ſanationem non admittunt, in multis partibus conuenit, ita vt etiam in laeſionibus hic diiudicandis, et vbi lethalitatem ex effectu mortifero, inſanabiles vero morbos ex auxiliorum certorum defectu diiudicare debemus, ad ſimilem quoque diſtinctionem deducamur, quae vix definiri poteſt, ſed ſaepius ambigua manet.

§. 198.

Vis vehementior, ſi corpus petat, morbum inducit, qui per ſua ſymptomata ſiue laeſas corporis actiones ſe prodit. Prout vero actiones vel ad vitam continuandam abſolute neceſſariae et vniuerſales ſunt, vel hominem viuentem tantum in particularibus quibusdam officiis adiuuant, ſic etiam laeſio actionum ex hac differentia diiudicatur, vt vel vita, ceu complexus omnium actionum, auferatur, vel tantum particulares actiones laedantur. Gradus itaque laeſionis inſigniter variant, ita, vt vel mors vere inde ſequatur, vel conſeruatio vitae cum morbo coniunctae eueniat. In hoc vltimo caſu tamen vel concurrentes cauſſae mortem inducunt, vel ſine euentu mortifero triſtes laeſiones in corpore diu et vsque ad mortem, ex aliis cauſſis tantum pendentem, relinquunt.

§. 199.

§. 199.

In omni igitur laeſione, vt morbi vel mortis cauſſa, diiudicanda, ad tria momenta potiſſimum reſpiciendum erit, ſcilicet ad lethalitatem abſolutam, ſiue certam vitae iacturam ex laeſione pendentem: ad lethalitatem accidentalem, non ex laeſione tantum, ſed ex aliis ſimul cauſſis concurrentibus, enatam; ad morbum aliquem cum maiori vel minori afflicti incommodo coniunctum: quam quidem differentiam nunc vlterius diſquirere, et, quantum fieri poterit, definire tentabimus.

§. 200.

Lethalitas abſoluta in actionibus vitalibus laeſis potiſſimum poſita eſt, ſcilicet in circulatione ſanguinis per cor et vaſa maiora; in reſpiratione per pulmones et thoracis mechaniſmum perficienda; in motu fluidi neruei per cerebrum et cerebellum ad omnes neruos ducendi. Sed quoniam laeſiones harum actionum gradu quodam differunt, et aliorum viſcerum et partium laeſiones, quatenus oeconomiam animalem mire perturbant, et actionum vitalium laeſiones immediato nexu inducunt, ſimili ratione ſunt diiudicandae.

§. 201.

Si ad cor et vaſa maiora reſpicimus, eae laeſiones, quae intra breue temporis ſpatium magnam vim ſanguinis effundunt, cuius quidem effluxus nullis auxiliis coerceri poteſt, abſolutam lethalitatem inferunt. Huc pertinent quoque vaſa maiora viſcerum, omnes arteriae ita laeſae, vt comprimi vel conſtringi nequeant, venae maiores v. c. cruralis, quae nec ligari poſſunt, nec lipothymia ingruente ſanguinem effundere deſinunt. Num arteriae minores inter-

internae laesae absolute lethales dici mereantur, non in genere, sed in singulis caussis tantum definiri potest.

§. 202.

In respirationis organo omnis laesio, quae viam aeris ad pulmones subito praecludit, quae post insignem destructionem pulmonis et diaphragmatis respirationem vitalem subito tollit, absolute lethalis dici meretur. Sunt tamen laesiones thoracis, quae grauem morbum inducant, minime autem vitam prorsus tollant, speciali examine inquirendae v. c. fracturae costarum cum dilaceratione substantiae pulmonum.

§. 203.

Ratione encephali et neruosi systematis inde deducti, destructiones cerebri et cerebelli, et effusi abinde in cauis cerebri et basi caluae sanguinis et seri copia, licet non subito; sed successiue mortem inducant, tamen, quia nulla arte remoueri possunt, absolute lethales sunt: porro destructiones medullae spinalis et neruorum principum, qui in corpore excurrunt, quod progressiuum fluidi neruei motum ad partes nobiliores, vitam facientes, vel proxime iuuantes, infringunt et tollunt.

§. 204.

Quanquam autem viscerum abdominalium functiones vitales non dicendae sunt, ad vitam tamen continuandam omnino requiruntur: insignes itaque eorum laesiones, non tantum ob haemorrhagiam nimiam, sed etiam ob nutrimenti elaborandi defectum, et effusionem humorum contentorum putrescentium, absolute lethales pronunciantur. Sic hepatis et lienis vulnera et ruptura, cum effusa sanguinis copia, sic ductus thoracici laesio, si illa sine vulnere

arte-

arteriae aortae fieri poſſet, ſic ventriculi et inteſtinorum, viarum bilis et veſicae vrinariae vulnera interna conſiderari merentur, nec niſi ex diſquiſitione ſpeciali petitae exceptiones valent.

§. 205.

His porro annumerari poſſunt, capitis, pectoris et abdominis percuſſiones violentae, et inde ortae contuſiones, vel internae vaſorum rupturae cum copia humoris extra vaſa miſſi, per reſorptionem non diſſipanda. Neque tantum in cauis corporis et internis viſceribus oriundae ſugillationes magnae et copioſae, ſed etiam ecchymoſes ſimiles amplae in contextu celluloſo ſubcutaneo, multorum muſculorum coniuncta dilaceratio, articuli proxime ad abdomen et thoracem deſtructi, et aliae laeſiones gangraenam funeſtam inducentes, abſolute lethales pronunciandae ſunt. Simile iudicium expoſcunt vulnera, inſtrumento venenato inflicta, et venena ipſa ingeſta, quae celerem inflammationem et gangraenam ventriculi et inteſtinorum afferunt.

§. 206.

Subitanea poſt laeſionem mors non quidem in ſe abſolutam lethalitatem indicare valet, ſed, cum mors ex apoplectico inſultu, aneuryſmatis ruptura cet. ſequi poſſit, laeſio, quae vt mortis cauſſa adducitur, per ſectionem cadaueris ita declaranda eſt, vt illa ſola cauſſa mortis ſubitaneae dici queat. In iis tamen, quos in antecedente paragrapho indicauimus, caſibus ſubitanea mors ſimul ad rationes, quae abſolutam lethalitatem confirmant, referri poteſt, in primis, ſi ſignis indubitatis euinci poſſit, nullam aliam cauſſam, quam violentam laeſionem adfuiſſe: quod ſi vero mors tardius accedat,

et

et ſub his mutationibus aliqua ſanationis ſpes affulſerit, exceptio fundamento non deſtituitur.

§. 207.

Ex nunc propoſitis quidem abſoluta lethalitas ſatis declarari poſſe videtur, in re tamen ardua definienda multae haud raro occurrunt dubitandi rationes. Quamobrem non ſine fundamento quaeſtio mouetur, an illae tantum laeſiones, in quibus nulla exempla medelae praeſtitae adduci poſſunt, vere et abſolute lethales aeſtimari queant, an ideo grauiores quaelibet laeſiones, quarum exempla curationis a variis obſeruatoribus adducuntur, tales non ſint, ſed tantum per accidens lethales pronunciari debeant, an denique, cum hac in re dubitationes ſupereſſe poſſint, noua diſtinctione admiſſa, per ſe lethales dicantur.

§. 208.

Minime quidem negandum eſt, vulnerum abſolute lethalium quosdam eſſe gradus, ex effectibus, varia ratione noxiis, declarandos; quod ſi vero inde noua illa diſtinctio in laeſiones abſolute et per ſe vel vtplurimum lethales, probetur, dubium omnino redditur iudicium: hinc illa in foro non admittitur. Minime enim ad curationes poſſibiles, vel exempla praeſtitae in magnis laeſionibus medelae, cum illa, quae in cauſſa ſanguinis requiritur, certitudine prouocare poſſumus. Obſeruatores, qui allegantur, laeſionem, vt decet, non ſemper examinarunt, velut cum arteria carotis per ligaturam, cruralis per compreſſionem curata dicitur. Quis vero certo docere poterit, arteriam ipſam laeſam fuiſſe, cum ſola haemorrhagia, minime vero diſquiſitio poſt mortem, aſſertum confirmet, et forte ramus maior tantum laeſus fuerit?

§. 209.

§. 209.

Quod ſi vero medicus ſecans officio ſuo ſatisfecit; quod ſi porro ſymptomata quaedam mortem concomitantia, v. c. lipothymia et conuulſio, obſeruari et conſignari potuerunt, vel medicus ſectionem dirigens, vel collegium medicorum ex ſignis collectis et effectibus laeſionis cognitis et declaratis vere iudicare potuit, aliquem ex laeſione illata mortuum fuiſſe, inprimis ſi laeſionis accidentalis momenta nunc a nobis recenſenda ſimul comparentur; quod ſi deinde laeſiones partium et ſymptomata acceſſoria non rite definiri potuerunt, ideoque medici iudicium de lethalitate certum ferre nequeunt, iureconſulti ſoli ex reliquis facti circumſtantiis poenam aggreſſoris, quantum in re dubia fieri poteſt, conſtituere ſolent.

§. 210.

Iam quod in hac re ad mitiorem ſententiam ſemper regrediendum eſt, ne homicidium iniquum priori iungatur, neglecta vel impoſſibilis diſquiſitio aggreſſori multum fauet, cum in caſu dubio mitior poena ſemper locum habeat. Defenſori quidem id relictum eſt, vt aggreſſoris factum, quantum fieri poteſt, excuſet, et abſolutam lethalitatem ad accidentalem transferre ſtudeat; medici autem veram rationem facti eruere et diiudicare debent: hinc minime conuenit, fictam aliquam poſſibilitatem ex hypotheſi vrgere, et laeſiones tantum erudite explicare; ex phaenomenis potius certis omnia declaranda ſunt.

§. 211.

In accidentali autem lethalitate praecipue quidem ad ea, quae cum laeſione illata, vel ex circumſtantiis temporis, vel caſu fortuito coniuncta fuerunt, et effe-

effectum in se mitiorem reddiderunt vehementiorem, respiciendum est. Sic aer frigidus, locus desertus, vbi laeso nullum auxilium applicari potuit, et aliae cunctationis caussae, porro vectio vulnerati in rheda, valida tractio corporis, lapsus in corpus durum, inprimis ex loco alto, contusionem lethalem efficiens, terror ex tristi aliquo euentu simul eueniens, aliaeque res externae, cum effectu laesionis immediate coniunctae, quae ob insignem euentuum varietatem non satis indicari possunt, a defensoribus omnino vsurpandae sunt.

§. 212.

Si lethalitas ex suis signis absoluta pronunciatur, non quilibet morbus, qui in corpore fuit, vt caussa concurrens considerari potest: phthisicum vel calculosum occidere, est illum occidere, qui vitam continuare aliquamdiu potuisset: scrotum herniosi vulnerare, et intestina incarcerata lethali vulnere afficere, absolutam lethalitatem infert: quod si vero ex percussione leuiori vomica vel aneurysma rumpatur, vel aquae in cauitatibus cerebri collectae et quiescentes moueantur, et mortem accelerent, euidentior est in morbo, quam in laesione, caussa mortis, quae ideo vere accidentalis iudicanda est.

§. 213.

Dispositio etiam imbecillitatis, in corpore de reliquo sano, non ad accidentales caussas referri potest. Puer colapho inflicto occisus fuit, cuius impetus robustum non occidisset; senex ex haemorrhagia exigua a laesione oriunda ob debilitatem obiit; fracta est calua tenuis, quae si crassior exstitisset, non fracta fuisset. In his certe absoluta lethalitas locum habet, cum effectus a laesione sola deriuandus sit. Dubia forte lethalitatis definitio est in laesione ebrii vel ira-

cundi, in quo diſpoſitio ſanguinis vehementius moti ad mortem accelerandam tantum, quantum ipſa laeſio, afferre potuit: eiusmodi enim homines interdum apoplexia ſanguinea abripi, experientia docuit.

§. 214.

Ad curationem omnium ferme laeſionum externarum et morborum inde oriundorum accurata obſeruatio regularum diaetae requiritur. Hinc in faeuincenda accidentali laeſione omnia aggreſſori fauent, quae durante curatione ab aegro commiſſa, vel neglecta fuerunt, v. c. abuſus potus ſpirituoſi, nimia voracitas, refrigerium et alia. Si aeger auxilium externum vel medicamentum internum neglexit, faſcias applicatas remouit, in lectulo ſe non continuit, idem valet. Haec cuncta autem non fingenda, ſed teſtimoniis firmanda ſunt, quo pateat, quantum ad laeſionis principis efficaciam contulerint.

§. 215.

Simili ratione omnia auxilia diiudicanda ſunt, quae a miniſtris, aegri curam ſuſcipientibus, a medico et chirurgo, hanc ipſam dirigentibus et ſuis conſiliis adiuuantibus, interea praeſtita fuerunt. Proinde iudicis vel potius medici, a iudice conſtituti, officium eſt, vt vulnerati vel aliter laeſi, adhuc viuentis, curam ſollicite ordinet, omnes mutationes quotidie annotet, quo morte demum ſubſequente haec cum laeſione comparari, et certum iudicium de cauſſis mortis ferri poſſit. Etſi vero ea, quae hac de re dicenda ſunt, fuſius enarrare nequeamus, pauca tamen commemorare a re alienum non erit.

§. 216.

Medicus, viuente adhuc aegro vulnerato, omnia ſigna, quae laeſionis rationem declarant, attente colligat et ponderet, ideoque morbo accommodatum

tum auxilium afferat. Stuporem v. c. ſomnolentiam et vomitum adeſſe perſpexit, ſed caluam non diſquiſiuit, nec trepanum applicari iuſſit. Si vero ſymptomata in viuo non vrgeant, licet ſectio cadaueris demum oſtendat, aegrum ob extrauaſatum in calua humorem ſubito periiſſe, culpa in medicum transferri nequit, qui non niſi ex ſignis rationem laeſionis diiudicare poterat.

§. 217.

Neque a medico id abſolute exigi poterit, vt remediorum applicatione omnia vulneri ſuperuenientia ſymptomata compeſcat, et peruerſam humorum mixtionem, quae haec ſymptomata acerbiora reddit, intra breue temporis ſpatium corrigat: non enim niſi limitata eſt operatio remediorum, quae non ſemper morbo debellando ſufficit. Sic inflammationi, quae lethalitatem vulneris auget, non ſemper limites ponere, nec gangraenam, ex cacochymia aegri ſubito increſcentem, cohibere poteſt. In iudicio igitur de medici auxilio, non ad abſolutam, ſed ad poſſibilem tantum medelam attendendum eſt, ex quibus certe fundamentis reliqua, quae hac in re occurrunt, dubia facile definiuntur.

§. 218.

Laeſione corpori inflicta vel prorſus ſanata, vel in eum ſtatum deducta, vt mortem non amplius inferre poſſit, medicus teſtimonium exhibeat, quo aegri conditio ita declaratur, vt facti diſquiſitio vlterius inſtitui, et aggreſſori poena ex natura rei decerni queat. Caueant tamen medici, ne latentis morbi inſidias negligant, ſed dubio adhuc euentu aliquam ſemper limitationem addant. Sic v. c. laeſiones capitis maiorem ſaepe, quam aliae, exigere videntur animaduerſionem.

§. 219.

Eadem attentione opus eſt in afflicti ſanitate integra reſtituenda, in incommodis, quae durante curatione, inprimis ex acerbo dolore, vel etiam cura abſoluta adſunt et remanent, definiendis. Cognitio ſani hominis, cum laeſis actionibus comparata, iudicium medici dirigit, ex his concludit, quaenam incommoda temporis progreſſu mitiora fiant, quaenam ſemper et per totam vitam afflicti perſiſtant, et quaenam aliis morbis generandis occaſionem praebeant. In his vero enarrandis ſubſiſtit medicus, quippe qui ſanitatis iacturam inaeſtimabilem pronuntiat, et iudici committit, quid in poena decernenda, et damno ex parte reparando ſtatuere velit et poſſit.

SECTIO II

DE

INFANTICIDIO.

§. 220.

Generali laeſionum examini ſpeciale nunc ſubiungimus, et violentae mortis cauſſas in infantibus primum diiudicamus. Etſi vero infantes neonati et vlterius excreſcentes omnia ferme cum aliis hominibus communia habent, et tenero mollique corporis habitu tantum differunt, ideoque infanticidium peculiari tractatione non egere videtur: laeſiones tamen foetui, nondum nato, vel in partu conſtituto, vel infanti breui poſt partum illatae, et ob mutatam nonnihil corpuſculi fabricam, et ob partes acceſſorias, ſiue ſecundinas, cum foetu eductas, et ob cauſſarum

rum laedentium ſingulares rationes ſine accurato examine dimitti non poſſunt.

§. 221.

In conſideratione igitur infanticidii ſtricte ſic dicti, quod hominem naſcendum vel modo natum, concernit, primo ad abortum, poſtea ad foetum vel ſub ipſo partu, vel breui poſt mortuum reſpicimus, ideoque ſigna foetus ante vel poſt partum mortui, ſpeciatim ea, quae in pulmonibus, vt reſpirationis organo, occurrunt, diſquirimus; deinde ad cauſſas foetus poſt partum mortui, praeſertim ad funiculum vmbilicalem et haemorrhagiam inde oriundam, tandem ad laeſiones alias mortiferas, in foetu et infantibus conſiderandas, attendimus.

§. 222.

Non tantum a laxitate partium generationis, inprimis vteri, a plethora et quibusdam ſecundinarum vitiis, ſed etiam a vi externa, vtero et eius orificio illata, foetum humanum ante conſuetum partus tempus excludi, et ita grauidam, foetu ante nonum menſem eliſo, abortum pati, alibi indicauimus. (i. m. §. 1164.) cum vero foetus ſeptimo circiter menſe vitalis pronunciandus ſit, (§. 107. 111.) abortum ſeu foetum immaturum, *ein unzeitiges Kind*, ſtrictiori vocis ſignificatione appellamus eum, qui ante initia ſeptimi menſis naſcitur; qui vero poſt ſextum grauiditatis menſem et ante finem noni emittitur, foetus praematurus vel praecox, *ein frühzeitiges Kind,* dici ſolet.

§. 223.

Foetus poſt primum conceptionis momentum in vtero viuere incipit, tunc tamen omnes actiones ad vitam pertinentes in tenero corpuſculo perfici non poſſunt: ſed cum hoc euoluatur et creſcat, et a

leuibus vitae initiis ad perfectionem progrediatur, quaestio nonnullorum de animato foetu, num praeter conceptionis actum tempus sit, quo animus ad foetum accedat? nulla est. Cum autem, quarto grauiditatis mense finito, vel paulo post, motus foetus in vtero a matre percipiatur, et ideo vita eius signo quodam euidenti declaretur, ad tempus grauiditatis medium, vt verum vitae initium, respicimus.

§. 224.

Innumerae caussae foetum primis grauiditatis mensibus ad abortum disponunt, in progressu, praecipue ad quartum mensem, et vbi foetus incrementum euidentius cognoscitur, nimius sanguinis impetus haemorrhagiam et simul foetus ac totius oui humani exclusionem vel simultaneam vel successiuam efficere potest. Hi quidem euentus clanculum saepius accedunt, vbi, inprimis ab initio, vt fluxus menstruus retardatus nunc denuo restitutus, considerantur, et raro examen medici clinici, multo minus medici forensis exigunt, cum in examine partium secedentium praeter informem molam nulla saepe foetus vestigia inueniantur.

§. 225.

Si vero ab hoc tempore vsque ad initia septimi mensis caussae euidentes grauidam laedentes commemorari possunt, in eas iam a iudice inquirendum est. Exclusus talis foetus vitalis non est, nec propterea vera homicidii idea locum habet, futuri tamen hominis spes eripitur. Homicidium verum tunc demum dici potest, cum foetus post septimum mensem vitalis excluditur, vel excludi potest, tunc enim ea attentio exigitur, quam in foetu perfecto, et ad nonum mensem deducto, adhibemus. Accurata quo-

quoque disquisitio et ideo necessaria est, quia mater ipsa inde laeditur, vel in vitae periculum coniicitur.

§. 226.

In examine vero caussarum, abortum vel praematuram foetus exclusionem efficientium, magna attentio iudicis requiritur. Aut enim caussa abortum faciens applicata fuit, vbi nec auctor caussae, nec grauida ipsa se foetum in vtero gerere cognouit: aut grauidae caussa quaedam applicata fuit, quae, licet non visa sit abortum mouere posse, illud tamen omnino praestitit: aut tandem caussa quaedam applicata fuit, vel auctori caussae, vel grauidae tantum, vel vtrique nota. Quae quidem res etsi a iudice solo disquirenda est, huic tamen a medico forensi rationes disquisitionis subministrandae sunt. Quamobrem caussas varias abortiuas nunc medice perpendimus.

§. 227.

Vim externe abdomini casu fortuito inflictam non raro abortus caussam fuisse, experientia docet. Puniendus itaque est, qui animo deliberato abdomen grauidae percussit, nec prorsus excusandus, etiamsi in rei ignorantia versatur. Sed variis artibus illicitis v. c. irritatione orificii vteri interni haemorrhagiam prouocare, et praematurum foetus exitum vrgere, maius facinus est, ad quod perpetrandum non tantum animi affectus concitatus, sed deprauata scelerati hominis voluntas incitat.

§. 228.

Venaesectionem et purgantia grauidis interdum vtilia esse, tam ex indicatione medica generali, quae sanguinis abundantiam imminuere, et saburram crudam ex primis viis euacuare iubet, quam ex ipsa ex-

 peri-

perientia conſtat. Nimis larga vero et repetita ſaepe venaeſectione, et matrem debilitari et infanti nutrimentum ſubduci, vel valida et draſtica purgatione inteſtina vellicari, teneſmum excitari, et ita in grauidis abortum moueri poſſe, certum eſt. Vomitus ſpontaneus grauidis interdum ſalutaris, ſtimulantibus tamen et ſumme nauſeoſis medicamentis excitatus, diaphragma et viſcera abdominalia nimis agitat, et ſpaſmos vniuerſales excitat, ideoque ad cauſſas abortus omnino trahi poteſt.

§. 229.

An ſint medicamenta emmenagoga, quae ſanguinis directionem et impetum ad vterum neceſſario producant? dubia quaeſtio eſt. Calida tamen aromatica ſanguinis motum excitare, et in tenerioribus foemellis eundem nimium vrgere poſſe, non dubium eſt, experientia potius declarare videtur, quibusdam pharmacis vim ſpecificam ineſſe. Si borracis, myrrhae, aloes, croci, ſuccini, pulegii, polii, matricariae, rorismarini, ariſtolochiae vires exiguas in pellendo menſtruo ſanguine dixeris, forte tamen ſabinae efficacia, ab oleo concentratiſſimo pendens, negari non poterit. Fortiter etiam reſoluentia, mercurialia potiſſimum medicamenta, inprimis ſi eorum efficacia ad ſaliuationem vsque intenditur, in grauidis ſine metu noxae applicari nequeunt.

§. 230.

Quod ſi itaque effectus abortiuus cognoſcatur; quod ſi medicamenta §. 229. enumerata et ſimilia clanculum exhibita fuerint; quod ſi per teſtes fide dignos euincatur, ea de cauſſa emta, conquiſita et praeparata fuiſſe, vt ſanguinis affluxum et catameniorum progreſſum efficerent; quod ſi largior vſus eorum

eorum et diutius protractus, quam indicationi medicae conuenit, ostendatur; omnia certe haec medicamenta, quae absolute abortiua dici nequeunt, in singularibus tamen foeminis, velut debilioribus aut plethoricis, per calida haec remedia nimis commotis, relatiue emmenagoga, vel in vehementiori effectu abortiua dici merentur.

§. 231.

Si foetus, signa imbecillitatis indubitata gestans, et alia saepe euidentiora corruptionem indicantia, ex vtero excluditur, vere abortus dicendus est. Quoties caussa abortus matre inscia applicata fuit, haec ab omni culpa libera est: sed septimestri vel octimestri foetu expulso, in quo certa vitae signa occurrunt, vel post mortem declarari possunt, mater, aut quod foetum non conseruare studuit, aut quod imbecillem infantem laesit, accusanda est.

§. 232.

Signa euidentia huius rei ex foetu omnino petenda sunt: quod si vero cadauer foetus cum secundinis casu vel dolo remotum fuerit, et ideo disquiri nequeat, ex parte matris hanc rem definire vel difficilimum est, vel prorsus impossibile. Si intra primos menses abortus euenerit, obscura sunt partus facti signa, ex sola haemorrhagia non euincenda, et si quam maxime in matre euidentiora partus proxime antecedentis signa, et completi foetus deprehendi possunt, inde tamen ad vitam infantis et eius perfectum habitum concludi nequit.

§. 233.

Obstetricantibus abortum mouere non concessum est, ne tunc quidem, cum de matre per hoc auxilium conseruanda sollicitae esse possunt; simulac vero haemorrhagia ostendit, vel vi vel casu abortum mo-

ueri, et quies aliaque remedia eius progreſſum impedire nequeunt, tunc obſtetricantes, manu admota, ſi fieri poteſt, foetum etiam immaturum extrahant, et ita abortum, quem quidem non mouerunt, tamen promouere haud dubitent, ne mater ex haemorrhagia, alia ratione vix coercenda, pereat. De foetu maturitati proximo id magis valet, cum et tunc de conſeruando infante, ſi vitalitatis quaedam ſigna adſint, cogitandum ſit.

§. 234.

Foetus in vtero mortuus, nec facili partu excludendus, haud raro ferramentis variis in partes diſſectus, ab obſtetricantibus educendus eſt. Num id viuo adhuc foetu fieri poſſit, et num infans, quo mater ſeruetur, occidi debeat, dubia quaeſtio eſt, quam nonnulli ideo affirmant, quoniam tali tempore ſaepe mater cum foetu perit, eaque mortua ſpes futuri foetus eripitur: cum autem facinus non committendum ſit, quamdiu vitae conſeruandae probabilis tantum coniectura eſt, cum triſte ſit, foetum viuum v. c. brachiis mutilatis educere, operationem illam non niſi infante mortuo fieri decet. Signa vitae fallacia interdum obſtetricantes excuſant.

§. 235.

Antequam diſquiſitionem foetus, paulo ante partum, vel in ipſo partu mortui, ſuſcipiamus, quaedam, quae matrem concernunt, quaeſtiones enodandae ſunt; ſcilicet excuſationes, quae ab ignoratione grauiditatis, ab impoſſibilitate auxilii in ipſo partu accipiendi, ab ignorantia ſubſidiorum vitae foetus poſt partum conſeruandae repetuntur. In quibus examinandis et definiendis multa quidem a iudice colligenda ſunt teſtimonia eorum, qui cum foeminis, clandeſtinum partum edentibus, familiariter viuunt:

cum

cum vero haec ſaepe falſa vel ambigua ſint, ea, quae ex phyſica diſpoſitione matris colligi poſſunt, noſtram praecipue animaduerſionem deſiderant.

§. 236.

Cauſſam grauiditatis, ſi virgo ebria, vel ſtupefaciente pharmaco ante conſopita, compreſſa fuit, ignorare poteſt grauida, nec ex defectu catameniorum, nec ex tumore ventris, nec ex lactis acceſſu in mammis, nec motu obſcuro in abdomine percepto, vera grauiditatis ſigna eruere potuit primipara. Si itaque debilis nec ad plenum corporis vigorem perductus foetus editur, excuſatio forte locum habebit: ſed minime valet, ſi grauida iam antea peperit, vel ſi primipara foetum maturum et perfectum edit, cuius quippe motus vltimis menſibus euidentiores fuerunt.

§. 237.

Partus dolores et cum his coniuncti motus ad partum ſubito ſaepe incipiunt et intenduntur; etiamſi vero haec ipſa celeritas in primiparis rarius obſeruetur, minime tamen negandum eſt, illam interdum accedere poſſe. Quod ſi igitur in loco, ab hominum frequentia remoto, primipara doloribus ad partem corripiatur, his certe impedita auxilium aliorum hominum vix quaerere potuit. Inter alios tamen homines viuere, vehementiſſimis doloribus affici, nec auxilium a familiaribus exigere, eſt certe non dolorem, ſed eius cauſſam celare. In ipſo pariendi actu nixibus continuis detenta parturiens foemina, niſi clamore accerſere poſſit familiares, ipſo greſſu auxilium hoc ſibi procurare vix poteſt.

§. 238.

Idem valet de ignorantia ſubſidiorum, quibus viuus partus conſeruandus eſt. In quibusdam a nobis

bis admonitis primiparae diſpoſitionibus illa locum habere videtur. Neque negandum eſt, infante excluſo, lipothymiis oppreſſam puerperam ſaepius impediri, quo minus debitam foetus curam ſuſcipere queat. His autem eius excuſationibus fides vix habenda eſt, niſi ex ipſa rerum ratione ſatis confirmentur. Infantem enim viuum excipere, nec periculum eius conſeruandi facere, ſubſidia potius, quae adſunt, negligere, crimen eſt, quod excuſationem non admittit, niſi ſingulares quaedam circumſtantiae certo probentur.

§. 239.

Infante recens nato mortuo deprehenſo, in matrem, quae peperit, et ideo ipſa forte infanticidium commiſit, inquirendum eſt. Foemina itaque, in qua quaedam grauiditatis ſuſpicio ſubnata fuit, §. 25. cuius venter poſt haemorrhagiam magnam ſubito detumuit, quae lac in mammis habet, probabili coniectura partum edidiſſe, iudicanda eſt. Ne autem in his fallacia verſetur, obſtetrix et abdomen rugoſum, oſtium vteri hians et molliuſculum, et vaginam amplam inueniens, certiora puerperii antecedentis ſigna detegit, et ſeueriori inquiſitioni in hanc ipſam foeminam occaſionem praebet.

§. 240.

Sed nec infantis diſquiſitio negligenda eſt, vt pateat, vtrum viuus natus, an iam in vtero mortuus fuerit? Repetenda igitur ſunt ea ſigna, quae §. 108. in partu legitimo diiudicando adduximus, adſunt tamen interdum euidentiora, quae mortem foetus in vtero confirmant, quorum praecipuum eſt putredo manifeſta, cum cuticula ſecedente et molli corporis vniuerſi tumore, inprimis ſi haec tria in foetu modo excluſo deprehenduntur, nec cauſſae apparent,

quae

quae eam poſt natiuitatem inducere potuerunt. Hoc in caſu et ſanguis in caua interna effuſus vitam non euincit, qui putredine reſolutus eo deriuari potuit.

§. 241.

Euidentiſſimis his ſignis alia addantur, v. c. habitus foetus flaccidus, corrugatus; abdomen collapſum; fontanella ſine ſignis violentae depreſſionis ſubſidens; maculae liuidae et ſtigmata varii coloris, in vniuerſo corporis habitu conſpicua, cutis ipſa liueſcens ſine ſignis violentae laeſionis, has mutationes efficientis. Haec ibi quam maxime attendenda ſunt, vbi nulla putredinis ſigna apparent, cum foetus mortuus, intra membranas incluſus, putredini diu reſiſtat.

§. 242.

Secundinae etiam, ſi fieri poteſt, examinandae ſunt: placenta enim mollis, exſucca, vel ſcirrho affecta, funiculus vmbilicalis marcidus, corrugatus, putredine corruptus, et putredo per hanc ad funiculum vmbilicalem proſerpens, foetus mortem in vtero ſatis confirmant. Nonnulli meconium effluens vel mortui vel debilis infantis indicium eſſe affirmant *), ſed, niſi alia ſigna occurrant, hoc ſolum mortem foetus non probat.

*) vid. ROEDERER in ſatura obſeruationum de ſuffocatis, Goettingae 1755. 4to p. 22.

§. 243.

Quod ſi vero ex externis illis praecipue putredinis ſignis nihil certi euinci poſſit, alia examinanda ſunt, quae plenum ſanguinis circulum et reſpirationem, tanquam actiones vitales, in infante factas

eſſe,

esse, aut confirmant aut dubium reddunt, et ita quaestiones dubias de morte foetus in vtero certissime definiunt. Paucis itaque de sugillationibus et vacuitate vasorum praemissis, difficillimum et multis controuersiis agitatum signum pulmonum, in aqua aut subsidentium, aut natantium, examinabimus.

§. 244.

Si infans exclusus factae compressionis vestigia quidem, nullam tamen in illis locis sugillationem, seu sanguinem sincerum intra cellulas et partes vexatas contentum et stagnantem habeat, laesiones non viuo, sed mortuo iam infanti, inflictas fuisse constat, cum pateat, eo tempore, quo compressae fuerunt foetus partes, circulum humorum per vasa nullum fuisse: si vero in locis pressis et vexatis sanguis coagulatus stagnans deprehenditur, vitam infantis et plenam humorum circulationem adhuc adfuisse, certissimum est.

§. 245.

Aperto infantis mortui cadauere, si cor et vasa sanguine spisso et ex parte coagulato plena deprehenduntur, foetum in vtero iam mortuum fuisse apparet: sin vacua sint caua cordis et vasa maiora, infantem vixisse ex eo colligitur, quoniam cordis vi propulsus sanguis tunc demum effluxit, cum iam ex vtero exclusus est. Haec in genere tantum proponimus, separatim de singulis agemus, cum ad locum de suffocationis signis et deligatione funiculi vmbilicalis venerimus.

§. 246.

Ostendamus vero, quomodo in sectione legali pulmones foetus disquirendi sint. Thorace, vt decet, aperto, si pulmones expansi anteriorem thoracis partem simul occupant, et cor suo modo obtegunt,

gunt, de reſpiratione vix dubitari poteſt: ſi vero vtrinque collapſi conſpiciuntur, defectus reſpirationis iam aliquo modo euincitur. Color et habitus quodammodo variant, et annotandum omnino eſt, an pallidi, roſei, rubicundi, denſi, vel molles, et ſpongioſi fuerint reperti, licet ex colore vario mors infantis eiusque cauſſae nondum definiri queant.

§. 247.

Diſquiſitis poſtea et inciſis cauis cordis et vaſis maioribus, quo eorum plenitudo aut vacuitas vel ſanguinis conſiſtentia et color cognoſcantur, pulmones cum corde ſub larynge vel ſupra laryngem cum thymo ad mediaſtini poſtici ductum exſcindantur, oeſophagus et diaphragma interdum in cauo thoracis relinquuntur, interdum ſimul exſcinduntur. Satis eſt, pulmones cum corde ſolo exſcindere, et partes ſua natura ſubſidentes relinquere.

§. 248.

Coniiciuntur itaque pulmones cum partibus adhaerentibus in vas aliquod amplum, aqua tepida vel temperate frigida plenum, quo cognoſcatur, vtrum fundum petant, an in ſuperficie aquae ſubſiſtant? poſtea vnus alterue lobus a corde ſeparatus, tandem reſectae partes loborum ſimili tentamini ſubliciantur. Haec attentio inprimis neceſſaria eſt, ſi dubia quaedam moueri queant; ſic enim, ſi vna pars fundum petit, alia non aeque, forte ſuper aquam haerens ſubſtantia pulmonis in quibusdam locis indurata, vel alia ex cauſſa morboſa cognoſcitur, ideoque bene attendenda eſt.

§. 249.

Si itaque pulmones ſubſidunt, illos nullum aerem ſuſcepiſſe, ideoque nec reſpirationem vitalem exercuiſſe, credimus; ſi e contrario ſupernatant, aerem hauſiſſe certum eſt, idque non aliter, quam vitali

tali respiratione extra vterum euenire posse, multi contendunt. Haec ipsa vero res multis controuersiis agitata, accuratius definienda, et limitationibus nonnullis ita circumscribenda est, vt fides experimenti pateat, eiusque fallacia, si qua est, in ipso sectionis actu disquiratur.

§. 250.

Quod obiiciunt, aerem clauso adhuc vtero pulmones intrare, eumque ex liquore amnii eo deuenire posse, idque per vagitum infantis in vtero declarari, id vix attendi meretur; cum aer amnii liquoris, vt reliquorum corporis humorum, non elasticus sit, et vagitus infantis in vtero ad figmenta iure referatur. Experimenta prope omnia in eiusmodi pulmonibus instituta subsidentiam declarant, et ideo defectum respirationis foetus in vtero confirmant. Hinc ea, quae a MAZZINO laudantur experimenta *), quae successiuum ascensum pulmonum foetus in aqua demonstrare videntur, cum nondum vlterius confirmata sint, nihil valent.

*) vid. Tract. de respiratione foetus Diss. VI. in Opp. Tom. III. p. 60. seqq.

§. 251.

Forte autem infans, in ipso partus actu, in vtero adhuc inclusus, respirationem incipere potuit? quod ore ad ostium vteri admoto aerem hausit, vel quod capite et pectore iam extra vterum haerente partibus inferioribus in vtero substitit. Vtrumque autem in partu naturali, qualis clandestinus est, nunquam, nec nisi in praeternaturali admitti potest. Prius vero ideo statui non potest, cum thoracis expansio, quae ad respirationem requiritur, et sine qua aerem pulmones intrare non posse arbi-

arbitramur, in vtero vix abſolui queat. Alterum ex eo falſum aſſertum eſt, quod foetus, cuius caput et thorax iam prodierunt, non amplius, niſi monſtroſus ſit, retineatur. Si tandem caput protruſum eſt, et corpuſculum ob humerorum latitudinem nimiam, et ob funiculi vmbilicalis circa quasdam partes deuolutiones retinetur, thorax in anguſtiis conſtitutus non extendi, nec reſpiratio vitalis incipere poteſt.

§. 252.

Aerem pulmonibus, qui nondum reſpirarunt, poſt mortem infantis inflari poſſe, certum eſt: qua in re non negamus, tales pulmones iis prorſus ſimiles eſſe, in quibus actus reſpirationis vitalis exercitatus fuit, ſed violentam hanc mutationem non credibile eſt accidiſſe, niſi per teſtes fide dignos confirmetur. Porro et ſcirrhoſi pulmones adultorum fundum petunt, licet aerem hauſerint, ſed haec cauſſa, quae in infantibus neonatis locum vix habet, certe vt aliae morboſae, quae forte occurrunt, in cadauere indaganda et annotanda eſt.

§. 253.

Pulmones, putredine mutatos, licet non reſpirauerint, ob aerem per putrefactionem in iis euolutum, aquae ſupernatare, et ideo experimentum fallaciſſimum reddere, multi vrgent. Alii vero experimentis comprobare annituntur, et pulmones putridos, ſi nondum inſpirauerint, fundum petere, et aerem elaſticum per putredinem euolutum talem non eſſe, qualis in reſpiratione pulmones intrat, ideoque valorem experimenti pulmonum, in aqua ſubſidentium, et in his ſubſiſtere contendunt. Sed cum omnis putredo cadaueris iudicium de ſignis mortis dubium reddat §. 181. hac ſatis cognita iudicium de pulmonibus natantibus incertum fit.

§. 254.

Foetum exclusum aliquamdiu sine respiratione viuere posse, experientia docet; peculiaris enim sanguinis circulus, qui in foetu per foramen ouale et canalem arteriosum absoluitur, per notabile temporis spatium durare potest: hinc obstetrices neonatum infantem, mortuum visum, non seponunt, sed agitando, mucum ex ore remouendo, et aerem per os inflando, initia respirationis interdum iuuant et excitant. Ex his certe patet, foetui viuo nato, antequam respirauit, violentiam lethalem accidere, et in eo infanticidium perpetrari, vel illum ex alia caussa mori posse.

§. 255.

Cum itaque in respirationis peractae et pulmonum examine tanta attentione a fallaciis cauendum sit, reliqua signa non negligi debent. Corporis habitus plenus nutritionem vsque ad partum continuatam fuisse indicat, vnde habitus foetus studiose examinandus est, quo mortis caussae, de quibus nunc dicturi sumus, pateant. Ex laesionibus enim natae sugillationes sanguinis et humorum in caua effusiones, vacuitas vasorum et fluxus sanguinis lethalis etiam tunc, cum respirationis effectus dubii inuenti sunt, corporis delicti certitudinem plane declarant.

§. 256.

Signis autem vitae magna cum cura disquisitis, in caussam mortis quoque inquirendum est. Omnes quidem laesiones, quae hominibus adultis applicantur, etiam infanti recens nato inferri possunt, ideoque ex vulnerum lethalium examine diiudicandae erunt: nostra tamen attentio praecipue ad funiculum vmbilicalem, in varia ab vmbilico distantia,

ſtantia, ruptum, praeſciſſum, ligatum vel non ligatum, et haemorrhagiam inde natam, nec non ad ſuffocationem conuertenda erit.

§. 257.

Infanti recens nato funiculum vmbilicalem ligandum et praeſcindendum eſſe, obſtetricibus notiſſima res eſt: neglectus igitur deligationis huius funiculi in infanticidii diſquiſitione protinus attenditur. Licet enim eandem nonnulli minus neceſſariam dicant, et brutorum animantium exemplo vtantur; licet reſpiratio incipiens affluxum ſanguinis ad vmbilicalia vaſa tollat, et haec, arteriae inprimis, vi fabricae ſuae corrugentur, haemorrhagiam tamen lethalem inde eueniſſe, et experientia et ratione ſatis euictum eſt.

§. 258.

Ruptura funiculi vmbilicalis proxime ad vmbilicum eueniens, abſolute quidem lethalis non eſt, eius tamen curatio magnam chirurgi attentionem exigit, nec ſemper ex voto ſuccedit. In intermiſſa igitur funiculi vmbilicalis deligatione cauſſa haemorrhagiae lethalis nunquam certo aſſumi poteſt, niſi ſimul effectus ipſe, ſcilicet vacuitas vaſorum maiorum et cauitatum cordis, indicetur: variis itaque conditionibus funiculi vmbilicalis adhaerentis, et ſi fieri poteſt etiam ſeparati, cum ſecundinis examinandi, perluſtratis, ſecantes aperto cadauere ad hunc effectum diſquirendum primum ſe conferunt.

§. 259.

Proxime igitur ad vmbilicum, vel aliquot pollicum diſtantia facta ſeparatio magis quidem timenda eſt, ſed et ex longiori poteſt haemorrhagia lethalis euenire. Etſi enim ſic facile collabi poteſt, et anfractuoſi tractus arteriarum collapſui non nihil fauent,

longitudo tamen partis funiculi relicti, cum haemorrhagia et ea ratione euenerit, nihil defensionis habet. Quoniam tamen effusio sanguinis tunc sequi nequeat, cum funiculus non solutus, secundinis cum foetu simul eductis, adhuc adhaeret *) ad vacuitatem vasorum in his et aliis laesionibus vnice respiciendum est.

*) vid. ROEDERER Comment. Goettingensibus. Tom. III. p. 398. seqq. et Icones vteri p. 27.

§. 260.

Ex vena funiculi vmbilicalis haemorrhagia lethalis non euenire potest, sed ex arterriis, quae praescissae magnam vim sanguinis fundunt. Si igitur funiculus acuto instrumento praescissus est, maior quidem haemorrhagiae caussa adest, quam si ruptus, vel digitis tractus et dilaceratus deprehenditur, quo in casu eius separatio cum masticatione animalium brutorum aliquo modo comparari potest. Haemorrhagia vero in omni effectu de caussa testatur, ita tamen, vt sanguis in partu effusus, qui lochialis dici potest, non consideretur, sed eius defectus in corpusculo infantis demonstretur.

§. 261.

His quidem in foetu rite disquisitis, laesiones quaedam externae ad suffocationem vt caussam respicere iubent: spuma enim oris, lingua prominula, facies liuida et tumida, liuidae maculae vel sugillationes circa collum, iam suspicionem mouent, vera tamen signa in plenitudine auriculae cordis anterioris, pulmonibus sanguine suffusis, venis iugularibus, et praecipue piae matris, sanguine turgentibus, inueniuntur. His quidem signis aliqua fallacia accedit, cum

cum et illi infantes, qui ſubitaneo frigore enecantur, vel laborioſo partu eduntur, quaedam ex iis prae ſe ferre poſſint; ideoque in ſignis ſuffocationis vere definiendis ad reliqua ſimul reſpiciendum eſt.

§. 262.

Si funiculus vmbilicalis comprimitur eo tempore, vbi aer pulmones nondum intrauit, vel intrare nequit, circulo humorum vitali cohibito mors inducitur. Hoc mortis genus ſuffocatio dici poteſt, et in funiculo longiori, circa caput et collum infantis conuoluto, locum habere videtur: vix enim mollis funiculus collum ita conſtringere poteſt, vt arteriae vel venae colli, multo minus aſpera arteria plane conſtringantur, humoris tranſitus impediatur et vera ſtrangulatio eueniat. Haec enim etiamſi in partu, per obſtetricem adiuto, neglecta euolutione funiculi ſtatui poſſet, in clandeſtino tamen partu, ſine auxilio eueniente, prior potius, quam poſterior modus aſſumi poterit.

§. 263.

Suffocatus perit infans, ſi, vel antequam reſpirationem vere incepit, vel eadem vix incepta, aeris acceſſus ad laryngem cohibetur. Sic ex negligentia moritur foetus, ſi mucus, faucibus inhaerens, non remouetur: violento autem actu id perficitur, ſi fauces corpore peregrino obturantur; ſi infans praecipiti lapſu in fluidum immergitur, et, quod ſaepe fieri ſolet, in ſpurcas cloacas praecipitatur, ſi vapor lethalis, qualis ſulphuris eſt, vias ſpiritales ſtringit. Quae quidem cauſſae reſpirationis cohibitae ex circumſtantiis declarari et confirmari debent, inprimis, cum ſimul in his caſibus, ob imperfectam quandam reſpirationem, experimentum de pulmo-

 num

num in aquis ſubſidentia dubium reddatur, quaedam enim partes in aquis ſubſidere, aliae natare poſſunt.

§. 264.

Si in cloacis deprehenduntur infantes, matri quidem aliqua excuſatio parata videtur, quod in partu crebrior deſidendi conatus occurrit, ſed ei matri, cui partus inſtantis indicia vere nota ſunt, non proſunt, cum foetus potius curam ſuſcipere, quam ad cloacam ſe conferre debuiſſet. Forte tamen vlterius ita defendi poſſet, quod ipſi niſus ad partum eo tempore ſuperuenerint, quo aluus deponitur, quo nimirum tempore e loco ſe non dimouere, nec auxilium petere poteſt. Certe neglectus auxilii, a pariente matre infanti neonato praeſtandi, in his et aliis cauſſis vix ſatis definiri poteſt.

§. 265.

Cum itaque ſaepius in examine cauſſarum, mortem infantis vel violentis laeſionibus vel aliis vitae incommodis inducentium, plures ſimul occurrant, et aliae quidem a corporis et animi ſtatu puerperae, aliae ab externis conditionibus pendeant, ſaepius non vna, ſed plures ſimul examinandae ſunt; et quamuis aliae, quae commiſſione, aliae, quae omiſſione nocent, in diſquiſitione facti phyſico medica ſtudioſe diſcernantur, medici tamen in cauſſa mortis vere definienda ſaepe non vnam tantum, vt proximam, adducere, et confirmare poſſunt, ſed complexum cauſſarum colligere tenentur, neque tamen ſemper veram ſubordinationem ſic eruere licet.

§. 266.

Haec quidem cauſſarum diſquiſitio, quae in homicidio definiendo fere ſemper difficilis eſt, in infanticidio potiſſimum ambiguitate laborat. Attendamus

damus igitur primo ad ignorantiam auxiliorum, quae interdum quidem concedi poteſt, neglectum tamen non excuſat, cum in re dubia vel ignota conſilia peritiorum quaerenda ſint; ſecundo ad inopiam auxilii ferendi, quae vt in parturientibus interdum inuenitur, ita ſaepe ob defectum teſtium non niſi ab infanticida ipſa confirmari poteſt; tertio ad cauſas externas concurrentes et infanti lethales, v. c. frigus, quae quidem non fingendae, ſed veris teſtimoniis comprobandae ſunt. Medici itaque ex phyſicis principiis non niſi probabilia deducunt, reliquis ſtudio iureconſultorum relictis, quibus et alia veritatis eruendae adiumenta conceſſa ſunt.

§. 267.

Si laeſiones mortiferae, quibus adulti afficiuntur, v. c. vulnera et contuſiones, infantis vitam tollunt, idem iudicium valet, quod in loco de vulnerum lethalitate in ſequentibus capitibus expoſituri ſumus; tenera tamen infantis fabrica caedi ſaepius haud vehementi reſiſtere nequit, quod quidem exemplis laeſionum capitis breuiter indicabimus, vnde apparebit, ſimile de thoracis et abdominis vulneribus iudicium ferri poſſe. Quis enim eſt, qui pulmonum et inteſtinorum vulnera in infantibus neonatis ad normam regularum chirurgicarum cum aliqua conualeſcendi ſpe tractare poſſit.

§. 268.

In partu difficili, et ſi caput magnum inter anguſtias oſſium pubis et tuberis iſchii haeret, et tunc, quando partus ab obſtetrice dirigitur, ſugillationes in externo caluae habitu et in integumentis fieri poſſe, experientia comprobat. In eo tamen infanticidio diſquirendo, in quo partus non niſi ſpontaneo motu abſoluitur, hoc minus valet, quam in

capitis situ obliquo, obstetricis manibus et instrumentis adiuuando. Etsi itaque sugillationes sub integumentis lethalitatem etiam in tenera infantum fabrica non inferunt, et capita infantum interdum insignem ferre possunt compressionem, accuratiorem tamen disquisitionem exigunt.

§. 269.

Color rubicundus ossium bregmatis et vicinorum, et seri quodammodo sanguinolenti sub his et dura matre effusio, aliquam quidem suspicionem violentiae illatae offerunt; sed nec caussam satis certo indicant, nec lethales effectus dici possunt, cum in partu difficili prope semper eueniant, et discussio in tenera aetate accidere potuerit. Nisi itaque inter piam matrem, inprimis inter hemisphaeria cerebri, in huius cauis et in basi caluae, sanguis extrauasatus vel magna copia seri sanguinolenti haeret, lethalitas absoluta affirmari nequit. Sanguis copiosus sub calua iis in locis haerens, vbi in adultis trepano applicato remoueri solet, excusationem non admittit, cum in infantibus recens natis chirurgicum hoc auxilium adhiberi non possit.

§. 270.

Fracta infantum neonatorum ossa lata caluae rarius occurrunt, cum flexilia sint, quare cauendum est, ne fissurae naturales, quae in ossibus his, nondum satis extensis, apparent, fissurae violentae dicantur, qui quidem error euitatur, si harum directio accurate describitur. Stigmata externa orta ab instrumento acuto, acu scilicet magna in fontanellam adacta, in progressu suo sollicite inquirenda sunt, hac enim lethalitatis caussa inuenta, parua saepius area sanguinolenta, laesioni circumducta, lethalitatis indicium est.

§. 271.

§. 271.

Flaccidum collum et caput, in tenero corpusculo nutans, laesionem in principio medullae spinalis non certo indicat, nec absolute dici potest, collum infanti obtortum fuisse: quodsi vero in capite nulla indicia laesionis lethalis inuenta fuerint, disquisitio circa primas vertebras colli accurate instituenda est, in quibus partibus saepe sugillationes profundae haerent, quae, medulla spinali et neruis inde oriundis vehementer compressis, subitaneam mortem inducunt.

§. 272.

Sed nec sufficit lethalitatem asserere, nisi caussae violentae laesionis simul eruantur. Occurrunt itaque in his multae probabiles, quae nunquam penitus definiuntur, nisi ex reliquis facti circumstantiis eruantur, quamobrem corpus delicti saepe dubium relinquitur. Foetum egredientem mater femoribus adductis comprimere nequit, forte tamen iam maximam partem egressum inter genua compressit; parturiente in situ erecto constituta, infans in terram et duros saepe lapides capite praeuio expulsus fuit; potest ne sub eo motu ruptura funiculi vmbilicalis concedi? potest ne infans respirare, cuius calua subito impetu compressa fuit? Hae et aliae quaestiones si declarari debent, examen singulare exigunt.

§. 273.

Vt igitur normam huius disquisitionis habeamus, dicemus exempli loco de infante, subito ex vtero expulso, et ab erecta matre in terram praecipitato. Hanc caussam commemorabat puerpera, eamque recte proferri affirmabat ordo medicorum Lipsiensis. Cum enim pulmones foetus in aquis subsedissent, sugillatio in capite prope fontanellam inuenta, et san-

guis ſub integumentis et ſub calua effuſus, oſtendebat, foetum viuum, antequam reſpirauit, §. 254. mortuum eſſe, ideoque, antequam vita vera extra vterum inciperet, mortis cauſſam a vehementi impetu in caput oriri potuiſſe.

SECTIO III.

DE VVLNERIBVS CAPITIS.

§. 274.

Dum varias corporis partes, quibus laeſiones infligi poſſunt, et varios in iis laeſionis gradus conſideramus, primo loco ad caput reſpiciendum eſſe duximus. Alibi iam, (i. chir. §. 403.) oſtenſum eſt, vehementem concuſſionem aeris vicini in reliquis partibus corporis ſtuporem, in capite autem nonnunquam ſubitaneam mortem efficere poſſe, quam rem a valida neruoſarum partium concuſſione et inde oriundo tremore deduximus.

§. 275.

Quod ſi aeris commoti vis nobiliſſimam corporis partem, quae non tantum encephalum continet, ſed organa quoque ſenſoria praeſtantiſſima in ſuis cauernis complectitur, tam valide afficere poteſt, multo magis attendendus erit quilibet alius impetus, inſtrumento laedente cum valida partium agitatione factus. Proinde omnes capitis percuſſiones et eae, quae magna vulnera non coniuncta habent, a chirurgis et medicis circumſpecte examinandae ſunt, ideoque etiam in cauſſa forenſi maiorem poſcunt attentionem.

§. 276.

Vulnera externa capitis et faciei, ob teneram partium fabricam, ob neruorum consensum et vasorum sanguiferorum copiam, difficillimae omnino curationis sunt, absoluta tamen lethalitas ipsis non adscribi potest. Licet enim magnae circa orbitas vel ad tempora laesiones euenientes, licet arteriae insignes, potissimum temporales discissae, licet temporales musculi cum pericranio arcte connexi tensio, nec non sanguinis sub epicrania membrana aut sub ipso pericranio extrauasati corruptio, pessima non raro symptomata inducant, attenta tamen chirurgi disquisitio et inde pendens auxilium mortiferos effectus saepius auertere valet.

§. 277.

Exempla quidem magnarum laesionum et destructionum, cauis a maxilla superiori vel inferiori formatis, et partibus ibi sitis inductarum, aptaque medendi ratione sanatarum, a variis obseruatoribus exposita, assertum nostrum confirmare possunt; si tamen ex his laesionibus repentina mors sequitur, si arteriae in absconditis locis laesae, haemorrhagiam, arte chirurgica non coercendam, inferunt; si nerui nimis irritati et tensi inflammationis celeriter increscentis et gangraenae mox insequentis caussae deprehenduntur, interdum speciali exemplo ostenditur, absolutam lethalitatem et in his locum habere.

§. 278.

Ossium, caluam constituentium, laesiones et fracturae per se nullam lethalitatem habent, quae non nisi ex mutationibus, inde in encephalo productis, declarari potest. Ossium frontis potissimum et bregmatis fracturae, cum ab attento chirurgo facilius disquiri, et incommoda inde nata remoueri possint, etsi saepius sat magnae sunt, ad eas tamen laesio-

laesiones referuntur, quibus arte succurri potest. Ossis frontis autem inferior pars, ad orbitas producta, ossis temporum lateralis teneritas, et progressus durae partis ad basin caluae, inprimis si sanguis isque copiosus ex auribus fluit, ossis occipitis fracturae vel ob inaequalitatem ossis, vel ob sedem basi caluae proximam, non sine accurato examine dimitti possunt, vt hoc instituto vlteriores et internae laesiones, si fieri potest, caute detegantur.

§. 279.

Vti vero partes laesae attentius considerandae sunt, sic et laesionis differentia simul annotanda erit. Pars ossis ablata vel vulnus amplum, ad duram matrem vsque penetrans, minus saepe periculi infert, quam concussio. Fracturae apertae, ex quibus fragmenta quaedam eximi possunt, et humor extrauasatus lente propullulat, saepe facilius curantur, quam tenues capillares fissurae, sub quibus internae partes nonnunquam grauiter laesae sunt, quamuis humor nullus effluat. Depressiones in pueris iam satis difficiles sunt, in adultis magis extimescendae, in quibus interdum lamina interna, vitrea dicta, diffracta deprehenditur, et latens malum indicat.

§. 280.

Laesiones durae matris, quae sine damno incidi potest, absolute lethales dici nequeunt: si vero sinus quidam vulneratur; si ramus maior arteriae in ea decurrens dilaceratur, et vulnus sub fragmento caluae immobili haeret, vbi remedia, quae sanguinis affluxum cohibent, non protinus admoueri possunt; si porro partes durae matris dilaceratae et tensae subiectas partes molles vehementius stringunt ac premunt, et inflammatio aliaque inde orta incommoda,

ante-

antequam trepanatione ſuccurri poſſit, vehementer increſcunt, tunc curatio difficillima eſt, quae ſaepe ad abſolutam lethalitatem accedit.

§. 281.

Piae matris et corticalis cerebri ſubſtantiae vulnera et compreſſiones, a ſanguine copioſius ſtagnante, triſtia ſaepe ſymptomata et haud raro difficilem curationem efficiunt, per ſe tamen et abſolute lethales non ſunt, ſed non niſi ex defectu vel neglectu optimorum auxiliorum. Et ſuperficiales cerebelli laeſiones, quae abſolute lethales non ſunt, quod auxilia in aliis locis quidem, hic vero non protinus applicari, nec extrauaſatus humor ex profunda hac ſede euocari poteſt, funeſtum ſaepe exitum habent.

§. 282.

Humores ſeroſi, magis autem ſanguinei, vel in cauis cerebri vel in baſi caluae extrauaſati, qui nulla arte educi poſſunt, abſolutam lethalitatem inferunt, inprimis ſi fiſſurae oſſis ad baſin caluae vsque producantur. Si calua non diffracta eſt, ſi effuſi humores, tardius vel ſuppuratione, vel putredine reſoluti, nocent, idem iudicandum eſt. Forte tamen aliqua exceptio locum habet, ſi exigua portio, et quae reſorptione tolli poſſet, deprehenditur.

§. 283.

Cum autem in cachecticis hominibus ſeroſi humores ſaepe in variis corporis cauis, praecipue autem in ventriculis cerebri effundantur, et hoc a morbo antecedente, minime vero a laeſione diſquirenda, deducendum ſit, cauſſa et indoles humoris ſeroſi bene examinari debent. Patet hoc quam maxime ex plexu choroideo marcido, varicoſo, vel hydatidibus obſeſſo, qua morboſa diſpoſitione deprehenſa humoris ſtaſis facile declaratur.

§. 284.

§. 284.

Non autem haec tantum momenta dubia, ſed et alia, ex morboſa diſpoſitione nata, quae in curatione laeſionum et earundem lethali tandem euentu occurrunt, accuratius diiudicanda ſunt. Hinc inſtrumenti laedentis forma et impetus, quantum fieri poteſt, ſimul declarentur, et porro annotetur, an varia ſymptomata vel protinus, vel poſt aliquod temporis interuallum acceſſerint; an in morbo latente ſymptomata nulla medentium attentionem ad ſe conuerterint, an ſymptomata oboriunda celeriter euenerint, antequam auxilium idoneum afferri potuerit.

§. 285.

In auxiliis a medentibus adhibendis inprimis ad trepanationem reſpiciendum eſt, quae vel ex defectu inſtrumentorum, vel ex imperitia chirurgi neglecta fuit. Cum etiam recentiorum chirurgorum experientia docuerit, trepanationem in variis locis, in quibus olim metu maioris incommodi intermiſſa fuerat, v. c. in ſuturis, in oſſe occipitis, ad os temporum, omnino admitti poſſe, huius neglectus quoque attendendus eſt. Quamobrem de accurata ſectionis adminiſtratione ſecantes ſolliciti ſint, et ad internarum partium laeſiones attente reſpiciant. Nos quidem omnem cautionem in tali ſectione obſeruandam explicare nequimus, pauca tamen ſubiungere placuit.

§. 286.

Cuticula et cutis cum ſubiectis membranis, epicrania ſcilicet et pericranio, ad caluam vsque ſeparentur, et paſſim in contextu celluloſo ſtagnantes humores indicentur, caluae ſuperior ambitus ſerra reſcindatur, ſi fractura occurrit, primum in parte mobili caute ſeparatur, et poſtea ad partem firmiorem progreſſus fiat, ne motus ſerrae partes magis deſtruat,

ſtruat, quam ipſa laeſio. Calua remota, dura mater, poſtquam eius laeſiones diſquiſitae fuerunt, ſigillatim ſoluatur, porro ſectiones horizontales et interdum quoque perpendiculares in cerebro fiant, quo ea, quae in eius cauis notanda ſunt, detegantur. Cerebro tandem remoto, baſis caluae diſquiratur, et cerebellum ſimili ratione et cura perueſtigetur.

§. 287.

In omnibus his diſquiſitionibus primario quidem ad humores et ſanguinem extrauaſatum, non tantum ratione quantitatis, ſed et ratione qualitatis attendatur, mutatioque ſucceſſiua in pus et ſaniem annotetur. Fiſſurarum directiones cum ſuturis non confundantur, fragmenta oſſis et ſpeciatim acutae eminentiae, quibus partes molles laeduntur, diſquirantur, quo vulneri ſuperuenientia ſymptomata, quantum fieri poſſit, inde explicentur Eo etiam reſpiciatur, ne fungoſae cerebri excreſcentiae, quae in curatione continuata obortae ſunt, ab ipſa ſubſtantia rite diſtinguantur. Si ab initio ſectionis fracturarum directiones non ſatis accurate definitae ſint, in fine repetendo examinentur.

§. 288.

In baſeos caluae diſquiſitione etiam dilacerationes et eroſiones vaſorum, neruorum et medullae oblongatae annotentur. Fracturae vertebrarum, et inde medullae ſpinalis et partium adiacentium laeſiones, inprimis validae compreſſiones abſolute lethales ſunt. In collo, ſi hoc acciderit, paraplegia ſubito lethalis ſubſequitur. In inferioribus dorſi vertebris et ad lumbos, et neruorum inde egredientium laeſionem mors quidem tardius, attamen certo euenit.

§. 289.

Luxationes verae vertebrarum ſine fracturis ob ligamentorum continentium firmitatem nunquam

euenire

euenire solent, si autem vere ex articulis dimotae sunt vertebrae, fracturae vel aliae laesiones simul accedunt, (i. chir. §. 897) ex quibus lethalitas diiudicatur. Tensiones autem harum partium praeternaturales, quae subluxationi similes videntur, et collo flaccido et capite, inde nimis nutante declarantur, vtplurimum ambiguae sunt, inprimis, si ex relationibus apparet, cadauera post mortem valide tracta et concussa fuisse.

§. 290.

Hae igitur lethalitatis caussae non ex ossibus tantum fractis et luxatis visis, sed ex laesionibus medullae spinali illatis, diiudicandae sunt, quibus non definitis, corpus delicti tantum non semper dubium redditur. Hoc inprimis de prima et secunda colli vertebra valet, in quibus tamen luxationes sine ruptura ligamentorum, et compressione medullae spinalis assumi nequeunt. In infantibus recens natis, vtpote tenerioris fabricae corporibus, partes vertebrarum, nondum coalitae, valida vi admota dimoueri possunt, et lethalitatem absolutam inducunt.

§. 291.

Ad partes in anteriori et laterali colli regione sitas nunc ducimur. Arteriae carotidis et venae iugularis internae vulnera, vt reliquorum vasorum maiorum, absolute lethalia sunt. Rami maiores ex his producti, v. c. arteria maxillaris interna et sublingualis, cum in profunda sua sede nec ligari, nec comprimi possint, eodem modo diiudicandi sunt. Reliqui carotidis rami, qui vel deligari vel comprimi possunt, et venae iugulares externae, vtpote compressione apta coercendae, non nisi lethalitatem per accidens inferunt.

§. 292.

§. 292.

Nerui maiores, intercoſtalis et par vagum, per collum deducti, cum ad vitales corporis actiones praeſtandas concurrant, et naturales quoque, ad vitam ſumme neceſſarias, functiones efficiant, abſolute lethali vulnere laeduntur. De phrenico neruo, ob progreſſum ad diaphragma, quod reſpirationis actionem dirigit, ſimili ratione iudicari debet. Plexus quoque neruorum, ex ſpinalibus colli ad brachium deductus, non ſine lethali euentu vulneratur, cum his vulneribus ſphacelus certo ſuperueniat.

§. 293.

Oeſophagus abſolute lethali vulnere praeſcindi nequit, niſi et aliae partes, ſimili ratione diiudicandae, ſimul laedantur. Exigua oeſophagi vulnera, ſi in collo accidunt, curatu difficillima ſunt, minime autem abſolute lethalia pronuncianda: quod ſi vero in thorace eueniant, in quo apta curationis auxilia adhiberi nequeunt, effuſio deglutitorum in cauum, putredo inde nata, et alia ſymptomata accedentia mortem certo inferunt.

§. 294.

Aſperae arteriae vulnera, parti anteriori illata, non niſi per accidens lethalia dicenda ſunt. Profundiora enim non infliguntur, niſi ſimul vaſa vicina laedantur, et ita lethalitas abſoluta ex alia ratione accedat. Vulnera inter cartilagines, inprimis inter primos ſub larynge annulos, qualia in tracheotomia infliguntur, hac in re nunquam ambigua ſunt; validae autem laryngis deſtructiones, vulnera aſperae arteriae profundiora ſub ſterni principio, porro vulnera maiora et obliqua, quae plures cartilagines diſcindunt, dubium iudicium relinquunt, in-

primis si emphysema nullo modo coercendum accedat. Quod si itaque plura ex his simul obseruentur, in casu speciali de absoluta lethalitate decerni poterit.

SECTIO IV.

DE VVLNERIBVS THORACIS.

§. 295.

Cum ad iudicandas thoracis laesiones accedamus, praecipue quidem cor et pulmones, viscera, sanguinis circulationi et respirationi inseruientia, considerandá sunt, quorum magnae laesiones, vt de encephalo diximus, omnino lethales iudicantur. De omnium autem partium, thoracem constituentium, et in eo contentorum, laesionibus acturi, cordis quidem et vasorum maiorum vulnera primum considerabimus, paulo post et pulmonum vulnera et suffocationem, siue denegatum aeris accessum ad pulmones, tandem diaphragmatis aliarumque partium laesiones sigillatim declarabimus.

§. 296.

Vulnera, quae ad aliquam cordis cauitatem, aut ad ventriculum, aut ad auriculam penetrant, certam et subitaneam sanguinis effusionem efficiunt, et effectus immediate subsequens, absolutam lethalitatem. Si vasorum coronariorum rami, inprimis arteriae, in progressu per cor, sine vulnere cauum attingente, laeduntur, mors quidem tardius, ob sanguinem vero ex pericardio non remouendum, certo sequitur: et licet exigua tantum sanguinis quantitas effundatur et vul-

et vulnus aliquod, nec adeo magnum, in musculosam cordis fabricam tantum inflictum sit, vtrumque tamen ob perennes cordis motus ad morbum, diuturnum quidem, sed tandem exitiosum duceret, cum natura sanationem non perficere, ars vero nullo modo succurrere possit.

§. 297.

Pericardio vulnera vix sine cordis laesione inferuntur, cum haec capsa, licet libera sit, partes tamen contentas presse ambiat. Si nerui phrenici, in pericardio decurrentes, laeduntur, maxima incommoda oriuntur, §. 292. inprimis si hoc vulnere pulmo simul laeditur. Vasa pericardia exigua sunt, et sanguinem, si vulnerantur, vix in cauum, sed potius in contextum cellulosum mediastini, vel in cauum thoracis effundunt. Effluxus liquoris pericardii sanationem vulneris difficilem reddit, et anxium cordis motum efficit. Omnes itaque hae laesiones, vel sigillatim vel coniunctim euenientes, iudicium de lethalitate accidentali vel absoluta ex effectibus confirmant, et ideo peculiari disquisitione examinantur.

§. 298.

Arteriae aortae vel venae cauae laesiones absolute lethales sunt, et rami inde producti maiores, subclauii scilicet et axillares, de carotidibus enim iam diximus §. 291. vulnere laesi, simili modo considerandi sunt. De minoribus ramis pectoris, v. c. arteria mammaria interna, etiam vena azygos, idem ferendum est iudicium, cum effluxus nec compressione, nec ligatura coerceri possit. Et si vel maxime sanguis non in contextum cellularem, sed in cauum pectoris euacuatur, aliqua etiam parte per paracentesin subducta, vlterior tamen effluxus non sisti potest.

§. 299.

Arteriae intercoſtalis vulnera, cum ſanguinis in cauum thoracis effuſio ex iis certo ſequatur, difficilis curationis ſunt, ars tamen chirurgica et apta his ligandis auxilia inuenit, (i. chir. §. 946) et eductione ſanguinis ex thorace non raro feliciter ſuccurrit (i. chir. §. 972. 978 ſeqq. hinc inter vulnera non niſi per accidens lethalia referenda ſunt. Quemadmodum vero, ſi nulla auxilii facultas detur, in ſpeciali caſu abſolute lethalia fiunt: ſic e contrario et aliae laeſiones vaſorum in thorace, quae abſolute lethales dictæ ſunt §. 298 interdum, v. c. in coagulo ſanguinis, vlteriorem eius effluxum impediente, ad accidentalem referri poſſunt.

§. 300.

Laeſio vaſorum pulmonalium, vt aliorum ſimilium, abſolute lethalis eſt. Eae autem pulmonum laeſiones, quae aliquam partem tangunt, vel ſi per totum lobum penetrant, vaſa maiora tamen non feriunt, ideoque eam tantum ſanguinis effuſionem eaque ſymptomata inducunt, quibus ad paracenteſin thoracis impelluntur medentes, ita diiudicari nequeunt, ſed potius ad accidentalis lethalitatis laeſiones pertinent. Si pulmones labe quadam vlceroſa vel alia afficiuntur, non ex ea, ſed ex laeſionis ratione vulneris lethalitas definienda eſt.

§. 301.

Antequam ad reliqua thoracis vulnera conſideranda progredimur, de morte ex ſuffocatione et eius ſignis, pauca proponenda ſunt. Quae quidem doctrina propter ſimilitudinem ſuffocatorum cum apoplecticis, et catarrho ſuffocatiuo oppreſſis, difficilior eſt, horum enim omnium auricula et ventriculus anterior intumeſcunt, et praeter ſanguinem, in variis corporis partibus ſtagnantem, venae iugulares et vaſa piae

piae matris vehementer turgent. Enarremus ergo nonnullos ſuffocationis modos, et cauſſa vniuerſim indicata eandem ad caſus forenſes applicemus.

§. 302.

Si thrombo in fauces intruſo choanae ſimul occluduntur, vel in cauum laryngis immiſſo aeris motus ſubito cohibetur, eius exſpiratio et per nouam inſpirationem facta renouatio, in pulmonibus impoſſibilis, circulum ſanguinis ex parte cordis anteriore ad pulmones impedit, inde turgent venae ad cor redeuntes, et apoplexia ſanguinea oritur. Si in aqua vel alio fluido, aere denſiore, corpus totum vel caput tantum ſubmergitur, aeris inſpirati pars in quibusdam bullulis exit, et aliqua aquae copia ſub inſpiratione tentata ingreditur *) : quam ob rem bronchia aqua ſpumeſcente turgent, idemque impedimentum circuli humorum inter cor et pulmones mortem inducit: ſtrangulati magis apoplectici, quam vere ſuffocati pereunt, aeris enim acceſſus ad pulmones vix prorſus denegari poteſt.

*) vid. Cl. LOUIS Lettre ſur la certitude des ſignes de la mort avec des obſervations et des experiences ſur les noyes. Paris, 8uo 1752. p. 121. ſeqq.

§. 303.

Aeris vis in pulmones et circulum ſanguinis, in hoc viſcere efficiendum, in phyſiologicis doctrinis demonſtratur, ſimul oſtenditur, thorace expanſo aerem quoque pulmones intrare et expandere, qui thorace contracto iterum contrahuntur et aerem expellunt, quo motu ſanguis vehementius per vaſa pulmonalia promouetur. Licet vero praeter elaſticitatem occulta quaedam vis fluidi aerei in reſpiratione

 ſalu-

ſalutari accedere videatur, eam tamen attendere non poſſumus, ſed in medicina forenſi tantum ad cauſſam impedimenti generalis reſpicimus, quae ex facti, quo lethalitas inducitur, circumſtantiis patet.

§. 304.

Nimirum quaeſtio oritur, vtrum homo, cuius cadauer vel in aquis, vel ad littora mortuum repertum ſit, viuus, an mortuus in aquas protruſus vel proiectus fuerit? In priori caſu aqua ſpumeſcens in bronchiis et pulmones inde diſtenti deprehenduntur. Hinc depreſſum diaphragma etiam viſcera abdominalia extrorſum vrget. Inſpiratio vltima non tuto commemorari poteſt, cum inter agitandum bullulae ex ore exeant §. 302. Si his contraria inueniuntur ſigna, mortuus iam in aquas proiectus fuit.

§. 305.

Afferuntur et alia ſigna, quae vero magis ambigua ſunt. Aquam in ventriculum ingurgitari, non plane negari poteſt, quod nonnunquam miſer, antequam moritur, caput ſuper aquam eleuat, aerem denuo inſpirat, ſed parum aquae ſemper ſimul deglutit. Tumor tamen abdominis deglutitis aquis non eſt adſcribendus. Qui in aquas prolapſi ex iis ad littora emergere tentant, ob validos ſaepe niſus ad lapides, ſtipites et radices arborum, excoriationes integumentorum in variis corporis regionibus, inprimis dilacerationes vnguium patiuntur, hoc ſignum tamen, cum in ſubito ſubmerſis non obſeruetur, vniuerſale dici nequit.

§. 306.

Ex aqua eductis, licet mortui videantur, ſi protinus id fieri poteſt, auxilium afferendum eſt. Corpore inuerſo et pedibus erectis tenere ex aqua protractum, vt haec effluat, vel nimium agitare et circum-

cumuoluere vix ſufficit, etſi ſic circulus humorum cohibitus iterum excitetur: melius tamen ciebitur blanda agitatione partium, et inprimis leniori frictione thoracis et abdominis, in aere temperato et ſub ſtragulis moderate calidis. Vapores irritantes, v. c. fumus herbae nicotianae, naribus, faucibus et ano immittantur, nares et fauces praeterea pluma irritentur, quo, ſi vomitus ſubſequitur, ventriculus et pulmones ab aqua ingurgitata liberentur. In venaeſectione etiam non vltimum auxilium poſitum eſt, quae, corpore iam quodammodo calefacto, in iugulari externa vena potiſſimum inſtituenda eſt.

§. 307.

Quaeſtio, num is, qui ſuſpenſus deprehenditur, viuus an mortuus ſuſpenſus fuerit? facile ſoluitur. In viuo ſuſpenſo ſanguis ſupra ſedem funis ſtagnat, facies tumida, liuida vel ſubcoerulea eſt, oculi tument, ſpuma ante os interdum ſanguinolenta deprehenditur. Venae capitis et encephali tument, pulmones diſtenti, cor anterius ſanguine turgidum, quae cuncta in eo, qui morte placida obiit, non obſeruantur. Attendenda itaque a ſecantibus ſunt ſigna reliqua, v. c. laeſiones externae, vel veneni indicia in primis viis.

§. 308.

In infantibus recens natis ſigna ſuffocationis ob reſpirationem, vel nondum, vel vix inceptam, magis dubia ſunt, §. 261. in quibus, etiamſi ad alia ſigna laeſionum ſimul attendatur, vix tamen declarari poteſt, vtrum infans ex morboſa diſpoſitione conuulſus, an aeris viis praecluſis ſuffocatus fuerit. Infantes nimirum circulum ſanguinis, in vtero fieri ſolitum, per aliquod temporis ſpatium tueri poſſunt, cum in adultis et foramine ouali, quod interdum

 fieri

fieri ſolet, aperto deprehenſo, ſuffocationis cauſſae cohiberi nequeant. Videndum itaque eſt, num in caſu ſpeciali, variis ſignis collectis et inter ſe comparatis, aliquid certi definiri poſſit.

§. 309.

Ad laeſiones thoracis diiudicandas deuenimus. Huius mechaniſmus ad reſpirationem inchoandam et continuandam maxime neceſſarius eſt. Eleuantur coſtae cum ſterno, et diaphragma deprimitur, fit cauum aere elaſtico vacuum, quod pulmones, ingreſſu aeris in bronchia diſtenti, replent. Si igitur latus thoracis inter coſtas vulnere perfoſſum eſt, aer externus elaſticus intrat, et totum pulmonem eiusdem lateris premit, qui ita non, vt decet, extendi poteſt. Ex hac diſpoſitione ſymptomata vulnerum thoracis explicantur, quae moleſtiam, minime autem per ſe mortem inducunt, nec eius vulnera niſi per accidens lethalia pronunciantur. Vtraque thoracis cauitate perfoſſa, tantum obiicitur reſpirationi impedimentum, vt abſoluta lethalitas inde ſequatur.

§. 310.

Laeſiones thoracis, cum fractura coſtarum coniunctae, ratione lethalitatis in genere vix definiendae ſunt. Simplex fractura vnius vel alterius coſtae, luxatio capitulorum coſtae ad vertebras, accidentalem tantum inferunt lethalitatem. Et complicatae fracturae, licet difficulter et relictis ſaepe variis vitae incommodis curentur, eo quoque referri poſſunt, niſi magnam excipere velles pectoris deſtructionem, per quam et arteriarum intercoſtalium multiplices dilacerationes et aliae laeſiones mortem ineuitabilem inducunt.

§. 311.

§. 311.

De oeſophagi vulneribus, §. 293. et de laeſione ductus thoracici ſine aortae laeſione poſſibili §. 204. diximus. Diaphragmatis autem vulnera, cum hoc muſculoſum ſeptum inter praecipua reſpirationis organa referatur, accuratius diſcernenda et diiudicanda ſunt. Ex his leuiora, et in ſuperiori potiſſimum parte applicata, vulnera muſculoſae partis ſuperficialia, ab inflammationis validae metu non libera quidem ſunt, per accidens tamen lethalia tantum dici poſſunt.

§. 312.

Longe aliter conſideranda eſt diaphragmatis perforatio in parte tendinea, quippe quae non tantum ob tenſionem fibrarum, ſe inuicem decuſſantium, ſed etiam ob vaſa et neruos, ibi copioſius decurrentes, abſolute lethalis eſt. Non minus oritur damnum ex vulnere, partem muſculoſam penetrante. Licet enim haec pars, vt muſculoſa, ſanationem recipere videatur, tamen, cum continua huius muſculi actio, quae vitalis eſt, ſanationem vt in corde §. 296. non admittat, iudicium medicum prope ſemper ad lethalitatem abſolutam ducitur: ſymptomata tamen ſauciati ſimul perpendenda ſunt, interdum enim ſimul periculoſiſſima laeſio vel partium diaphragma tranſeuntium, vel aliarum vicinarum, occurrit.

SECTIO V.

DE VVLNERIBVS ABDOMINIS.

§. 313.

Amplissimam et certe difficillimam tractationem ingredimur, cum lethalitatis gradus in infimi ventris vulneribus constituere suscipimus. Quia enim partes, in hac cauitate contentae, non quidem immediate, sed in serie functionum continuatarum ad vitam necessariae sunt; quia porro gradus varii laesionum, vix vbique rite definiendi, inueniuntur; denique in his saepe auxilia non nisi ambiguum effectum afferunt, de lethalitate vulnerum quidem nonnunquam in genere pronunciare poterimus, non raro tamen limitatione addita, quae non nisi ex speciali disquisitione patet.

§. 314.

Nonnullis itaque de vulneribus integumentorum propriorum abdominis praemissis, ventriculi et intestinorum laesiones peruestigabimus. Hoc autem loco tractatio de venenorum noxa, etsi in aliis quoque corporis partibus, in his tamen praecipue conspicua, apte inseri poterit. Postea mesaraei vulnera, et vasa varia in abdomine simul laesa considerabimus; hepatis deinde et lienis vulneribus examinatis, tandem ad viarum vrinariarum et generationis organorum laesiones progrediemur.

§. 315.

Integumenta abdominis propria sunt musculi atque peritonaeum. His vulnere laesis symptomata varia, magna cum cura attendenda, accidunt, v. c. haemorrhagia ex arteriae epigastricae laesione. Cum

vero ars chirurgica ſubſidia curationi accommodata proponat, vulnera haec non niſi per accidens lethalia dici poſſunt. Lineae albae et ſemilunaris, vmbilici et annuli abdominalis vulnera prae reliquis difficilia iudicantur, admittunt tamen et haec a conuenienti auxiliorum vſu, largiori potiſſimum inciſione, ſanationem.

§. 316.

Omenti vulnera, vt ex doctrina de herniis conſtat, ſanari poſſunt, hinc per accidens quoque lethalia dicenda ſunt, inprimis ſi diſſecto cadauere pateat, chirurgum in ſeparandis partibus liuidis et corruptis negligentiorem fuiſſe, easque vel in abdomen intruſiſſe, vel vaſa diſciſſa minime ligaſſe. Quod ſi vero omenti laeſio proxime ad ventriculum fiat, vel vulnus, ex quo omentum propendet, nec ampliari nec prolapſa pars reduci poſſit, dubia tunc diſceptatio eſt, non niſi examine peculiari dirimenda.

§. 317.

Ventriculus, alimentis et potulentis non diſtentus, vix ſolus vulnere laedi poteſt, ſed vicinae partes vtplurimum ſimul tanguntur: repletus verò et verſus abdomen ſe extendens, in ſuperficie ſuperiore loco non nihil a curuatura magna diſtante, vulnere interdum laeditur, quod, euacuato per vomitum cauo hoc viſcere, contractionem et ſub apto regimine veram conſolidationem admittit. Niſi itaque ſymptomata, mox poſt laeſionem accedentia et ſubito exacerbata, v. c. haemorrhagia vel conuulſiui motus contrarium ſuadeant, haec ventriculi vulnera, cum verae ſanationis exempla proſtent, non niſi per accidens lethalia dici poſſunt.

§. 318.

§. 318.

Attentius examen merentur contuſiones validae ad ſcrobiculum cordis, ceu ventriculi regionem, tunc potiſſimum, cum cibis et potu diſtentus eſt, illatae, e quibus inſignes ſaepe ſugillationes partium internarum et vehemens inflammatio, gangraena ſuperueniente, ſubito lethalis oriri poteſt. Quod ſi igitur hic neglectus auxiliorum obiici nequeat, et ſubitanea mors ex ſymptomatibus nullo modo coercendis euincatur, laeſio abſolute lethalis pronuncianda eſt.

§. 319.

Si ventriculus, vicinis etiam partibus minus laeſis, in vtroque pariete perfoditur; ſi vulnus ad curuaturam magnam, cui omentum adhaeret, et quam vaſa maiora perreptant, infligitur; ſi idem ad cardiam vsque pertingit, laeſio omnino abſolute lethalis eſt. Minime enim his in laeſionibus ad ſanationis aliquando praeſtitae exempla prouocare poterimus §. 317. cum e ſymptomatum ſuperuenientium ratione et ſectione cadaueris abſolutae lethalitatis ſigna cognoſci debeant.

§. 320.

Ad inteſtinorum vulnera deducimur, in quibus quidem enteroraphiae feliciter peractae et multa, et ſaepe mirabilia ſanationis exempla ex obſeruationibus chirurgicis adduci poſſunt. Ex his tamen ſolis accidentalis lethalitas euinci nequit, ſed differentia inteſtinorum, ipſa laeſionis varietas, et praecipua, quae inde eueniunt, ſymptomata caute perpendenda ſunt, ita vt in his pauca in genere definiri, alia vero ex peculiari vulnerum diſquiſitione tantum diiudicari queant.

§. 321.

§. 321.

Duodenum ob ſitum ſuum abſconditum vix vulnerari poteſt, niſi et aliis partibus ſimul laeſis; ipſa etiam humoris contenti effuſio, ſi ex vulnere accidat, coerceri nequit, ſed putredinem certam inducit. Et ieiunum inteſtinum graui vulnere laeditur, inprimis, cum cibis digeſtis aliisque humoribus in abdomen effundendis turgeat. Ileon vero et eae partes inteſtini coli, quae abdominis integumentis proximae ſunt, non raro ita laeduntur, vt vulneri ſutura applicari queat, inprimis cum ſtercora ex his vulneribus non tam facile in abdomen effundantur, ſed per vulnus effluant; profundius tamen inflicta vulnera auxilium chirurgicum vix admittunt.

§. 322.

Ex his itaque obſeruationibus lethalitas vel abſoluta vel accidentalis diiudicanda, et varie definienda eſt, praecipue tamen ad effuſionem ſanguinis et ſtercoreae materiae vel nimiam vel nullam, ad vulnus abdominis vel ſatis amplum vel arte ampliandum, ad laeſionem inteſtini in parte a meſenterio remota, vel ei proxima, ſimul reſpici debet. Quam ob rem in his laeſionibus, ſectione legali declarandis, non niſi accurata omnium rerum obſeruatio, eos, qui ſententiam ferre debent, inſtruit.

§. 323.

Plenaria tubi inteſtinalis diſciſſio difficilius quidem ſanationem admittit, adhibita tamen attentione eam interdum ab exercitatis chirurgis perfectam fuiſſe nouimus. Proinde quanquam ad laeſiones per accidens lethales referendae videntur, in qualibet tamen laeſione non vtendum eſſe exemplis rarius

rius factarum curationum, alibi §. 207. 208. 217. monuimus.

§. 324.

Cum vero canalis alimentorum non tantum vulneribus, ſed et venenis laedatur, horum efficacia et deſtruens vis ſimul examinanda eſt. Nos quidem ea, quae in therapiae generalis Part. III. Cap. II. §. 1384. ſeqq. de venenorum efficacia infringenda fuſius declarauimus, repetere haud poſſumus, cum ibidem non tantum de natura et indole venenorum, ſed etiam de antidotis, ſeu venena euacuantibus et corrigentibus remediis, expoſuerimus; noſtrum tamen erit, et hoc loco breuiter oſtendere, quomodo medicus forenſis hac doctrina in laeſionibus mortiferis diiudicandis vti debeat.

§. 325.

Si quis morte ſubitanea abripitur, nullaque violentiae externae vel morbi praecedentis ſigna occurrunt, ſed potius are aliqua, cum alimentis vel medicamentis potiſſimum corpori admota, triſtes effectus oriri videntur; ſi ſpaſmi et dolores vehementes canalem alimentorum afficiunt; ſi aeger ſiti clamoſa angitur; ſi nauſea, vomitus, cholera et reiectio materiae peregrinae ex primis viis ſubſequitur; ſi animi deliquia ſuperueniunt; ſi inflammationis ſigna ſe produnt; ſi vniuerſales ſaepe conuulſiones obſeruantur, et tandem afflictus moritur, ſuſpicio accepti veneni per ſectionem legalem firmanda eſt.

§. 326.

Augetur autem haec ſuſpicio huiusmodi euentis: corporum mutatio poſt mortem minus conſueta phaenomena prodit; non tantum abdomen ſubito intumeſcit, ſed putredinis ſigna in reliquis quoque cor-

corporis partibus ſe oſtendunt; facies tumet, et liuidae maculae paſſim in corpore ſuboriuntur; cuticula ſecedit, foetor inſignis oritur; fauces tument et oris cauum cruentum, vel alio modo mutatum deprehenditur. Neque ex his ſolis ad vim venenatam certo concluditur, ſed veneni effectus et laeſionis gradus ex aliis internis potiſſimum ſignis, ſectione legali declarandis, cognoſcitur.

§. 327.

Occurrunt in his cadaueribus, ſi in veneni effectus porro inquiritur, ſparſae canalis alimentorum, inprimis ventriculi, inflammationes, ſaepe etiam iam gangraenae imminentis vel praeſentis ſigna, quae, ſi externe non appareant, in interna tamen horum cauorum ſuperficie maculae ſparſae, eroſae, inflammatoriae et gangraenoſae, vt veneni adhaerentis et fortius vellicantis ſigna, ſe offerunt, tunica villoſa primum ſecedit: ſi vero vehementior ſit effectus, canalis alimentorum in variis partibus mollis eſt, vix reſiſtens, facile dilacerandus, qui adeo in putredinem tranſiit, vt ſaepe humor putridus iam in abdomen effuſus deprehendatur.

§. 328.

Haec autem ſignorum in canali alimentorum diſquiſitio ſic ſuſcipienda eſt, vt ſemper ad cauſſam reſpiciatur, quoniam morbi putridi vniuerſales, qui reſolutionem ſanguinis et humorum coniunctam habent, nec non cholera et dyſenteria, morbi, ex ſaburra primarum viarum corrupta orti, ſimilia ferme indicia praebent. Multo magis haec attentio requiritur, ſi non canalis alimentorum ipſe, ſed alia quoque viſcera corrupta ſunt, vel mala materia in inteſtina conuerſa eſt, quae cuncta cum ex natura et geneſi morborum, tum ex iis, quae de morboſa ſingu-

ſingulorum hominum diſpoſitione per teſtes afferuntur, eruenda et indicanda ſunt.

§. 329.

Laeſione itaque perſpecta, medicus omni cura, vel liquorem in ventriculo contentum, vel particulas quasdam veneni paſſim relictas et adhaerentes inquirat, quo ex his, quale venenum, et qua copia datum fuerit, cognoſcat. Vitri fracti particulae, ſi quae adſint, colligantur, arſenici moleculae conquirantur, quo prunis iniectae odore alliaceo ſe prodant, ſimilique ratione aliae venenorum reliquiae, in corpore deprehenſae, partes herbarum, radicum et ſeminum examinentur, vt ipſa vis veneni eo accuratius reperiatur.

§. 330.

Videndum etiam, vtrum venenum in omni corporis diſpoſitione, an ſub quibusdam tantum conditionibus, noxium inueniatur. Nam vehementiſſima adeo venena, vt arſenicum, quae in ieiuno ventriculo celerem deſtructionem inducunt, tamen in eo cibis, potiſſimum iurulentis et pinguibus, repleto, ſaepius vomitum tantum ſine ſubſequente noxa excitarunt. Et glutinoſum morboſum, in ventriculo repertum, infringit veneni vim, idem praeſtant oleoſa vel aquoſa fluida, copioſius ſimul hauſta. E contrario et mitiſſima venena, quae vix noxam intuliſſent, per abuſum medicamentorum calidorum, v. c. theriacalium antidotorum, lethifera inuenta fuerunt, cum inflammatio ex his aucta fuerit.

§. 331.

Cum autem in ſuſpicione veneficii, vel in eum, qui venena vendidit, vel qui ea conquiſiuit, praeparauit, et aliis applicauit, inquirendum ſit, haec cura iudici potiſſimum eſt relinquenda; medicus autem forenſis, et ciborum et potulentorum reliquias et

medi-

medicamenta, quae tunc temporis exhibita fuerunt, ſtudioſe diſquirat, quo definiat, num his venenati quid adhaereat. In his tamen ſcrutiniis, ſtudioſe et cum cura inſtitutis, multa ambigua et incerta remanent, quod admixta venenum ſaepius inuoluunt, quod vel ob hanc cauſſam, vel quoniam paucae tantum particulae noxiae interſperſae ſunt, diſquiſitio chemica inſtitui nequit, et quod experimenta, cum animalibus brutis inſtituta, fallacia ſunt. Omnia tamen tentanda ſunt, vt corpus delicti vere eruatur.

§. 332.

In abſoluta itaque lethalitate, ex vi veneni cognoſcenda, e corporis laeſionibus vnice iudicium colligendum eſt. Qua in re medicus eruditus reliquas corporis diſpoſitiones morboſas, v. c. vlcera viſcerum, et alias a morbo diuturno pendentes mutationes probe dignoſcat et indicet, nunquam tamen cum effectibus veneni confundat. Id ſaepe, et tunc praecipue difficile eſt, cum lentorum venenorum, v. c. calcis plumbi, exſiccantes et paralyſin inducentes effectus diſquirendi, et ab aliis cauſſis morboſis lente obrepentibus diſcernendi ſunt: niſi tamen in his nexus cauſſae et effectus accurate demonſtretur, ad accidentalem lethalitatem aſſerendam haud raro tantum ducimur.

§. 333.

Nonnunquam etiam in ſubitanea morte diiudicanda, in veneni applicati ſuſpicionem deuenimus, quae tamen, ſi res accurate diſquiratur, nulla eſt; v. c. ſi indicia ad incantationes et per ſympathiam illatas laeſiones, a rebus in aedibus abſconditis, vel alio modo corpori applicatis, tantum referuntur. Magiam naturalem nominant *), quae tamen a medicis phyſicis defendi nequit, niſi corpus naturale,

cui noxa adſcribitur, euidenti aliquo nexu ſolidas vel fluidas corporis animalis partes ſic afficiat, vt euidens morbi vel mortis cauſſa inde inferatur.

*) Diſtinguunt alii magiam naturalem et diabolicam, illam artibus humanis, hanc ipſam diaboli adſcribentes: ſed cum naturalem ad phyſices dogmata examinandam eſſe dixerimus, de diabolica nihil prorſus monemus.

§. 334.

Hic vero philtrorum quoque mentio iniicienda eſt. Ad vehementem animi affectum, ideoque etiam ad amorem, cauſſas morales praeparare, his auctis veram melancholiam et maniam oriri, et corpus phyſice mutari poſſe, res certiſſima eſt. Medicamenta ſic dicta aphrodiſiaca, ob nutrientem et calidam qualitatem, malum hoc phyſicum interdum quoque augere, conſtat. In his tamen vera veneni vis nunquam eſt. Licet autem dubitari non poſſit, multas eſſe abſconditas adhuc corporum naturalium vires, inprimis medicamentoſas, reperiri tamen medicamenta, quae ſua indole amorem immoderatum, morali correctione non mutandum, excitent, vix tuto defenditur.

§. 335.

Alimentum et medicamentum, cum contentione animi datum et ſumtum, laeſam phantaſiam vlterius corrumpere, et ita vt philtrum conſiderari poteſt, quod hominem in morbum grauiorem melancholicum, amore immoderato et quaſi delirante comitatum, coniecit, vel iam antea natum vlterius confirmat. Si in his, vt philtris conſideratis, laedens forte qualitas deprehenditur, ea ex ſolis cauſſis phyſicis diiudicanda, et tunc ad venenatam indolem reducenda eſt.

§. 336.

§. 336.

Quae hucusque de venenis et ſimilibus rebus medicatis generatim propoſuimus, ſpecialius definiri nequeunt, ſed ex aliis doctrinae medicae capitibus ab erudito medico in ſpeciali caſu examinanda et huc referenda ſunt. Hic quidem, cauſſa laedente quantum fieri poteſt definita, eaque et generali et particulari conſideratione perſpecta, omnia ſymptomata et mutationes corporis laeſi accurate ponderat, et cum cauſſa laedente comparat, Quando itaque nexum cauſſae et effectus accurate indicare poteſt, certitudinem corporis delicti inde euincit. Nimia cauſſarum concurrentium copia dubias ſaepe concluſiones efficit, hinc veneficii auctor ſaepe excuſatur, vel, ſi ad accidentalem lethalitatem concluditur, mitiori poena afficitur.

§. 337.

A laeſionibus canalis alimentorum, et cum his coniuncta tractatione de venenis, ad meſenterii et meſocoli vulnera tranſimus. Pinguis haec membrana, quatenus et tenuia et craſſa inteſtina annexa habet, eaque in ſitu ſuo figit, vulnere vix laedi poteſt, niſi et inteſtina laedantur: cum tamen aliqua poſſibilitas laeſionis partialis locum habere queat, in his vulneribus diiudicandis ad vaſorum arterioſorum, venoſorum et lacteorum laeſiones, et inde factas humorum effuſiones reſpicimus, quae, ſi inſignes ſunt, nec remoueri poſſunt, ideoque corpori putredinem contrahunt, abſolutam lethalitatem inferunt; ſi vero per abſceſſum remoueri poſſunt, mitiorem ſententiam reddunt.

§. 338.

Si effuſiones ſanguinis, ex vaſis minoribus laeſis euenientes, ex effectu diiudicari, et eorum vulnera

interdum abſolute lethalia pronunciari poſſunt, multo magis vaſa maiora, quae in abdomine excurrunt, arteriae aortae, et venarum cauae et portae maiores rami, vulnere laeſi, abſolutam lethalitatem efficiunt. Ex his enim tanta ſanguinis vis tamque celeriter effluit, vt nulla arte coerceri, nec effuſa remoueri poſſit. Et nerui principes laeſi ſimile iudicium expoſcunt, etſi cum vaſis conuoluti vix ſine his laeduntur. Rupturae vaſorum interdum euenientes, quanquam lentae demum mortis cauſſae ſunt, tamen, ſi diſquiſitioni forenſi ſubiiciuntur, inter abſolute lethales numerari debent.

§. 339.

Hepatis et lienis vulnera, ſi vaſa maiora reſpicias, quae in his viſceribus excurrunt, ex iis, quae nunc expoſuimus, abſolute lethalia iudicantur. Cum etiam haec viſcera ſub coſtis ſpuriis et diaphragmate abſcondita lateant, vulnera haec complicata et difficiliora, et curatu ſaepe impoſſibilia ſunt. Viſcera tandem haec et in ſe conſiderata, ſpongioſa et laxiora, ſanationem non ita vt muſculoſae partes admittunt. Vulnera igitur per accidens lethalia non niſi ea dici poterunt, quae maxime ſuperficialia ſunt, et humorum effuſionem in abdomen vel nullam vel exiguam induxerunt.

§. 340.

Et hepar, et praecipue lien, ſine vulnere externo per contuſiones validas nonnunquam rumpuntur, id quod in ventriculi plenitudine et in ebriis praecipue reſpectu lienis accidit: ac tum quidem ob effuſum, nec vllo modo coercendum et euacuandum ſanguinem non niſi abſoluta lethalitas locum habet. Nec ad vulnera lienis excuſanda valet experimentum de

de liene, ex beſtiis ſine vitae periculo exſciſſo, cum ſitus huius viſceris, et inprimis nexus cum vaſis maioribus, in homine longe aliter comparati ſint, quam in canibus et aliis animalibus, ideoque ligatura vaſorum fieri nequeat.

§. 341.

Et vaſa bilifera, hepati propria, non niſi abſolute lethali vulnere laeduntur, cum effuſio bilis deſtructioni et putredini occaſionem praebeat. Haec etiam vaſa, vtpote in concaua hepatis parte ſita, vix laedi poſſunt, niſi et aliae partes ſimili ratione afficiantur. Obſeruationes de fundo veſiculae felleae, per operationem chirurgicam aperto, haec vulnera non excuſant: in his enim vel ob abſceſſum, vel ob calculorum copiam, fundus veſiculae felleae magis eminet, et vulnus chirurgi arte maiori cum circumſpectione efficitur, quam id, quod caſu infligitur.

§. 342.

Renum quoque vulnera, vt difficilia ſunt, ita ſaepe ſine ſpe ſanationis. Si igitur vaſa maiora vel vreteres praeſcinduntur, ſi in magna horum viſcerum deſtructione humor in celluloſum contextum, renem circumuoluentem, penetrauit, et celerem corruptionem induxit, abſolute lethales laeſiones dicendae ſunt. Cum autem renes, ſi accuratius iudicemus, in cauo abdominis non reponantur, ſed poſt peritonaeum collocentur, ſimplicia et ſuperficialia vulnera non raro curationem admittunt, et ideo per accidens lethalia ſunt; inprimis ſi ex ſectione legali patet, chirurgum, aegri curam ſuſcipientem, aliquid neglexiſſe, v. c. abſceſſum, in eo loco natum, non aperuiſſe.

§. 343.

Vulnera veſicae vrinariae non abſolute lethalia eſſe, lithotomia docet, quae in variis calculum extrahendi modis varia veſicae vulnera ſine noxa inferri poſſe declarat: ſed vt a vulnere artificiali ad caſu inflictum non ſemper concludi poteſt, ſic veſicae potiſſimum vulnera, arte inflicta, interdum ſanationem non admittunt. A medico forenſi itaque attendendum eſt, num ex vaſis vicinis ſanguis, vel ex veſica ipſa laeſa vrina, in ea loca tranſeat, ex quibus nulla arte educi poteſt, tunc enim vulnus abſolute lethale dici debet: quod ſi vero effuſo humori exitus pateat, et vulnus chirurgi attentione glutinari poſſit, accidentalis lethalitas omnino locum habet.

§. 344.

In ſexu potiori et teſticuli et penis operatione chirurgica praeſcindi poſſunt, et arteriae ſpermaticae, et eae, quae per corpora cauernoſa vehuntur, partim contrahuntur, partim compreſſione et ligatura a lethali effuſione ſanguinis defenduntur. Hinc vulnera haec per accidens tantum lethalia dici poſſunt, niſi ex ſectione pateat, proxime ad annulum et os pubis diſciſſa vaſa effuſionem, vix coercendam, ſanguinis effeciſſe, qua laeſione perſpecta, abſolutam lethalitatem inferunt. Violenta teſticulorum compreſſio immenſos ſaepe dolores, conuulſiones et lipothymias excitat, eam tamen abſolute lethalem dicere vix poſſumus.

§. 345.

Vterus in non grauidis inter veſicam et inteſtinum rectum ita abſconditus eſt, vt vulnere vix laedi poſſit, niſi et aliud vulnus abſolute lethale partium adiacentium ſimul fiat; grauidus vero vterus, vt-

pote

pote assurgens, et a contusione valida, et a vulnere, indeque orta haemorrhagia, ita laedi potest, vt foetus et mater in vitae periculum coniiciantur. Quam ob rem, cognita laesione et symptomatibus obortis rite expensis, ad absolutam lethalitatem concludi poterit. Sectio caesarea interdum cum felici successu administrata, magnum quidem vulnus sine tristi euentu vtero grauido inflictum, declarat, in hoc tamen casu contractio vteri et vasorum, foetu educto subsequitur. Stupri violenti interdum tristes effectus sunt, et inflammatio et gangraena, in partibus naturalibus ortae, mortem nullo modo auertendam induxerunt, lethalitatis tamen ratio ex laesionibus et symptomatibus demum intelligenda est.

SECTIO VI.

DE VVLNERIBVS EXTERNARVM PARTIVM.

§. 346.

Ea quidem vulnera, quae partibus in cauitatibus reconditis infliguntur, ob insignem potissimum humorum effusorum copiam, nec coercendam nec apte euacuandam, absolutam lethalitatem afferre diximus, in externis vero partibus vix alia, quam accidentalis lethalitas locum habere videtur, cum ars chirurgica, nunc quidem adiumentis multis emendata, vulneratis opem ferre doceat. Tristes tamen euentus non negari possunt, vel quod auxilia mox applicanda non in promptu fuerunt, vel quod, iis quidem tamen applicatis, enormes quaedam partium destructiones medelam vix admittunt,

§. 347.

Non necessarium esse arbitramur, hac in re singularum partium disquisitionem suscipere, nec illos casus adducere, vbi vera auxilia non in promtu fuerunt, vel vbi dispositio morbosa ex cacochymia vulnerati sanationem impediuit: sed tantum breuiter monemus, magna vulnera, quae extremitatibus proxime ad truncum infligantur, vel ob haemorrhagiam, ex axillaribus vel cruralibus siue femoralibus vasis oriundam, nec compescendam, vel ex gangraena vehementissima, articulorum contusiones mox subsequente interdum ad absolutam lethalitatem statuendam ducere.

SECTIO VII.

DE INEPTA MEDENDI RATIONE.

§. 348.

Difficile ac saepius impossibile est, in laesionibus partium absolutam vel accidentalem lethalitatem in genere definire, sed in singularibus caussis, ex ratione vulneris, per sectionem legalem declarata, verum iudicium repetitur. Inprimis vero, si vulnera non ex instanti, sed aliquanto post lethalia fuerunt, disquisitio applicatorum remediorum hanc difficultatem auget, cum saepius a defensoribus accusatorum omnis culpa in medentes coniiciatur; quam ob rem non incongruum erit, huius rei considerationem in vniuersum paucis subnectere.

§. 349.

Praestantissima auxilia sunt, quae mox post laesionem applicantur, his enim haemorrhagia lethalis

lis coerceri, inflammationis incrementum gangraenosaque corruptio praecaueri, et conuulſiui motus compeſci poſſunt. Culpa igitur in medicum et artem ſalutarem conferri nequit, ſi defectus remediorum fuit, et ſerius aduocati medicus et chirurgus de effectibus mortiferis, in curatione morborum ſubſequentibus, accuſari non debent. Sufficit in re dubia, auxilia commemorare, quibus inſtructi curationem ad normam verae indicationis medicae adminiſtrarunt medentes.

§. 350.

Medentem venena miſcere, vel alia inſtrumenta artis ſuae in perniciem hominum conſulto dirigere, vix credibile eſt: ſi acciderit, non vt de medico, ſed alio quolibet, vitae hominum inſidias ſtruente, quaeſtio habetur. Quod ſi vero efficaciſſimis medicamentis, v. c. mercurialibus vel arſenicalibus, vſus fuerit, et tentaminis ſui rationem ex cauſſis phyſicis tradere annitatur, a medicis rationalibus effectus funeſtus ex ſua cauſſa diiudicandus, et medicus, quod experimenta per mortes egit, puniendus eſt.

§. 351.

Iam etſi grauiorem poenam meruit, qui nullam medendi veniam habet, quoniam ſimul in re illicita verſatur, tamen et medicus, rite conſtitutus, in priuilegiis, poſt conſueta examina acquiſitis, excuſationis rationem vnice ponere nequit. Excuſationis vero rationes, quae ex effectibus phyſicis medicamentorum, vel per rationem vel per experientiam cognitis ducuntur, vt medicum peritum plane excuſant, ſic et in curationis, ab empirico ſuſceptae, ſiniſtro euentu, mitiorem reddunt poenam.

§. 352.

In his rebus diiudicandis ignorantiae et negligentiae limites certi non ſemper inueniri poſſunt. Ex natura enim corporum et experientia patet, ea etiam medicamenta, quae in ſalutem hominum, ſed non apto tempore, vel in aegris imbecillis, vel doſi non nihil aucta exhibeantur, peruerſos effectus producere. Vera igitur harum rerum definitio conſcientiae medicorum relinquenda eſt, qui, cum in re pretioſiſſima, vita ſcilicet hominum, verſentur, omnes animi vires eo intendant, quo immoderatos naturae motus compeſcant, debiles excitent, et ita finem ſalutarem in morbis auertendis et abigendis attingant.

§. 353.

In chirurgia et eius parte, arte nimirum obſtetricia, euidentiora ſaepe, quam in clinica medicina, occurrunt vel ignorantiae vel negligentiae in medendo ſigna. Non alia tamen diiudicandi fundamenta ſunt, quam ipſa indicationis verae aut praeter neceſſitatem electae ratio, et auxiliorum, eam ob cauſſam adhibitorum, neceſſarii vel accidentales tantum effectus, ex quibus is, qui operationem ſuſcepit, interdum de errore conuincitur, interdum excuſatur.

§. 354.

In cura tamen aegrorum non omnis euentus ſiniſter medentibus adſcribendus eſt, ſed et aeger ipſe ob diſpoſitionem corporis ſymptomatum grauitati occaſionem praebet; etiam remedia applicanda vel negligit, vel graues diaetae errores committit; ii quoque, quibus aegrorum cura tradita eſt, praecepta medentium, non vt decet, obſeruant. Quod ſi itaque origo ſiniſtrorum euentuum ex his cauſſis

caussis ostendi potest, in excusationem medentium omnino conuertenda est.

§. 355.

In disquisitione laesionum post mortem graues a secantibus errores committuntur, qui iudicium de lethalitate vel absoluta vel accidentali dubium reddunt. In secantes itaque culpa corporis delicti incerti redditi cadit, qui ideo a munere, cui pares non sunt, remoueri debent. Ipsa tamen haec negligentia vel ignorantia non absolute excusat aggressores, sed subitanea mors, et alia, quae concurrunt, eos, qui sententiam ferunt, ita instruunt, vt non semper ad accidentalem, sed non nunquam quoque ad absolutam lethalitatem concludant.

CAPVT III.

DE VERITATIS ERVENDAE RATIONIBVS.

§. 356.

In facti disquisitione primaria cura iudicis in eo posita sit, vt omnes circumstantias recte annotet, ex iis veritatem eruat, et reos conuincat: quod si tamen facinus hac ratione declarari nequeat, vel potissimum reus idem neget, seueriora veritatis quaerendae subsidia inuenta sunt, ex quibus tortura sic dicta praecipuum est, quo reus ad confessionem adigatur. Nos quidem quaestionem illam, num veritas facti per torturam disquirenda sit? iureconsultis relinquimus: cum autem in eius applicatione nonnullae limitationes occurrant, ex quibus eae praecipuae sunt, quae ratione corporis et morborum a medico physico disquirendae sunt, eae nunc a nobis considerari debent.

§. 357.

§. 357.

Nullum eſt torturae genus, quod hominem non laedat, dolor enim acerbus, neruos afficiens, inconſuetos naturae motus excitat. Cum vero ea ſit torturae ratio, vt reus dolores et inde orta vitae incommoda ſentire, et vel metu eorundem ad confeſſionem ſceleris perpetrati adigi, vel ipſo ſenſu eo compelli debeat, doloris effectus, qui ſanitatem quodammodo laedunt, ita ſaltim excitandi ſunt, vt homo poſtmodum ſanitati reſtitui, et functionibus par eſſe queat.

§. 358.

Tenerior corporis habitus et inde nata imbecillitas a tortura non liberat, dummodo de reliquo integra ſanitate fruatur reus. Cum tamen in nonnullis tanta imbecillitas ſit, quae, vt cauſſa praediſponens, homines ad conuulſiones facile diſponat, de ea iudicet medicus, vel ante torturam, vel, ſi hoc non tuto fieri poteſt, in ipſo torturae actu praeſens ſit, ne vltra vires corporis extendatur torquendi modus: minime enim ita laedendus eſt reus, vt ei ex tortura morbus habitualis relinquatur.

§. 359.

Omnis vero torturae ratio eo redit, vt cutis, neruis inſtructa, ideoque exquiſito ſenſu praedita, aliquo in loco corporis, inprimis vbi baſi durae inhaeret, vehementer comprimatur, ideoque et nerui, ſub ea excurrentes, vt partes ſenſiles tendantur. In hunc finem varia dolorem excitandi genera inuenta fuerunt, quibus etiam aliqua duratio et interdum ſucceſſiuum augmentum eſt, quod cum non tolerare poſſit reus, ad verum fatendum impellitur.

§. 360.

§. 360.

Si omnes torturae modos nunc fuſius recenſere, et quomodo corpus iis affligatur, commemorare vellemus, nimis longa fieret tractatio: ſubſiſtamus potius in iis modis, quos in foro Saxonico receptos videmus, ſiquidem, comparatione aliorum cum his inſtituta, eorum ratio poſſit diiudicari. Si nimirum reus, comminatione torturae, in iudicio facta, ad confitendum non impellitur territio in loco, vbi inſtrumenta torturae applicantur, ita efficitur, vt haec eidem oſtendantur, minime vero applicentur. Illa territio verbalis, haec realis dici ſolet. Si vero ad ipſam torturam venitur, tribus potiſſimum modis efficitur.

§. 361.

Primus modus eſt, brachiis poſt dorſum retractis, vtriusque manus pollices in phalanga media prelo ferreo comprimere, polletrum dicitur inſtrumentum, *die Daumenſtöcke*; quod cochleis adductis magis magisque adſtringitur. Etſi autem tendines ſenſu exquiſito deſtituuntur, cutis tamen et partes neruoſae vicinae, durante compreſſione, laeduntur, et ita ad durum os apprimuntur, vt dolor vehemens excitetur. Prima autem pollicis phalanga ideo non comprimitur, ne inflammatio profunda ad perioſteum ſub vngue excitetur, et paronychiae cauſſa eſſe poſſit.

§. 362.

Huic ſuccedit alter modus, cum funes aſperi, fidiculae, *die Schnüre*, appellantur, ex filis cannabinis, interdum ex pilis equinis contorti, circa carpum aliquoties conuoluuntur et rotantur, progreſſu ad cubitum facto, vel interdum etiam ſuper olecranum concutiendo adducuntur. Acerbus doloris ſenſus eſt, quoniam cutis ſubito et vehementer fricatur,

tur, et ſanguis ſaepe elicitur, quo percepto ſubſiſtendum eſt, ne cutis ſupra tendines nimis deſtruatur, nec articulis vis inferatur; quorum graues laeſiones curatu difficillimae ſunt: in iunioribus ipſa adeo oſſa franguntur.

§. 363.

Super ſcalam etiam extenditur corpus, qui tertius modus eſt, nec tantum dorſum extenditur, ſed brachia quoque in articulis humeri vehementer retrorſum torquentur, ex qua re ſummus dolor oritur. Cauendum tamen eſt, ne luxatio in hac parte fiat, ſi ligamenta nimis tenſa in imbecillis non ſatis reſiſtunt. Prelum ferreum vel ligneum ſimul, cui eminentiae additae ſunt, applicatur tibiae, et cutis ad perioſteum et ſpinam tibiae anteriorem, vtpote muſculis non tectam, vehementer apprimitur, quam compreſſionis rationem ocreas hiſpanicas, *ſpaniſche Stiefeln*, appellant.

§. 364.

Hi tres torquendi modi ita adhiberi ſolent, vt iureconſulti ſententiam ferentes varios gradus definiant, ab vno ſemper ad alium progrediendo, quatenus reſponſio ad quaeſtiones propoſitas et eorum numerum exigitur. Gradus itaque tres torturae conſtituunt, quorum primus modum a nobis deſcriptum primum atque ſecundum complectitur, prelum ſcilicet atque funes; ſecundus ſcala et ocreis abſoluitur; tertius vero, minus vſitatus, ignitis ſulphuratis bacillis vnguibus ſubiectis, clauis ligneis tergo ſubiectis, *der geſpickte Haaſe*, aliisque, ſimilibus conſtat. Sunt et alia torturae genera, in aliis regionibus vſitata, ex applicationis modo et impetu, in corpus facto diiudicanda.

§. 365.

§. 365.

In omnibus vero his torturae modis et gradibus eo respiciendum est, vt iudex carnificem moneat, quo constitutioni corporis quodammodo faueat, et torturae gradum, in primis in imbecillis, moderetur, ne vltra modum aucti dolores, vel nimiae cutis destructiones et inflammationes, nec articulorum distorsiones, nec ossium fracturae inde oriantur. Hac in re praecipue percussiones, quae sub tortura ipsa applicantur, vel intermittendae vel moderandae sunt.

§. 366.

Cum vero defensores reorum hoc agant, vt hos vel ab omni tortura, vel a grauioribus saltim eius gradibus liberent, et in argumentis defensionis saepe ad caussas physicas respiciant, breuiter a nobis exponendum est, quinam ab omni tortura, qui contra a quibusdam gradibus, ob statum animi et corporis imbecillem et morbosum, liberi iudicandi sint, quo verius de valore defensionis statui possit.

§. 367.

Impuberes non tantum ob animi imbecillitatem, sed ob corporis quoque debilitatem vere cognitam, torturae non subiiciendi sunt. Adolescentes, quorum quidem ossa in epiphysibus nondum coaluerunt, et qui articulos nondum satis confirmatos habent, sine metu irreparabilis laesionis ad torturam duci nequeunt. Et senes decrepiti, ob ossa nimis fragilia, nimiamque rigiditatem musculorum et articulorum, extensionis et pressionis effectus sine graui noxa ferre non possunt. Haec tamen non ex annorum numero tantum, sed ex corporis constitutione simul sic definienda sunt, vt vnus vel alter torturae gradus iis decerni possit.

§. 368.

§. 368.

Pro foeminis quoque nonnullae excusationes pugnant. Grauidas nimirum torqueri non posse ex vteri priuilegiis patet, §. 133. in quibus ne territio quidem locum habere videtur, quae non tantum matrem, sed et infantem laedere possit. Nutrix sine noxa, infanti nutriendo inducenda, torturae subiici nequit, cum terror et grauior dolor accessum lactis impediat, et simul inflammationis in mamma metum faciat. Negotium tandem menstruorum excusationem ad tempus admittit, in quo disquisitio obstetricis requiritur, ne hunc fluxum fingat foemina torturae exponenda.

§. 369.

De excusationibus, quae a morbis repetuntur, fusius hic exponere supersedemus, cum supra §. 126 sqq. in consideratione simulationis et dissimulationis morborum de his egerimus, liceat tamen nonnulla breuiter repetere. Omnes morbi acuti reum excusant; periodici quoque, et febriles et spastici, inprimis si languoris signa, etiam extra paroxysmum in aegro relinquunt. Chronici morbi omnes, si cum euidenti languore coniuncti sunt, cruciatus torturae sine exacerbatione morbi, quae non excitanda est, haud admittunt, v. c. asthma, hydrops.

§. 370.

Vlcera partialia, in locis pressioni et extensioni subiiciendis, orta, et habitualia facta, nec non oedemata similia torturam non concedunt: non aeque iis in locis, quos tortura non tangit. Simile forte iudicium de scabie vel lue venerea grauiori ferendum est. Arthritis, quae cum febre est, et nodi et tumores, ex podagra habituali nati, torturam declinant; vaga tamen arthritis, et morbi nunc indicati leuiores,

corpore

corpore de reliquo bene valente, in interuallis morbi disquiſitionem hanc ſeueriorem admittunt. Stupidi et amentes ex ſtatu animi, epileptici etiam et habitualibus conuulſionibus obnoxii, cum ad morbi acceſſum facile diſponantur, a tortura liberi ſunt. Ex quibus exemplis abunde patet, quomodo medicus et in reliquis morbis dubiam hanc rem definire debeat.

CAPVT IV.

DE POENIS AFFLICTIVIS CORPORVM.

§. 371.

Cum is, qui ſcelus commiſit, vel triſtibus tantum ſenſationibus in corpore excitatis, vel ipſa morte inducta, poenas afflictiuas pati debeat, de hac re etiam interdum medicorum ſententia audienda eſt. Qui ad definitum tempus in carceribus detinentur, ſqualore et aliis cum his coniunctis incommodis, non ita afficiendi ſunt, vt, quanquam reſtituta libertate, ob morbum tamen grauem, e carceris foeditate ortum, ad negotia ſua et neceſſaria vitae ſubſidia quaerenda inutiles ſint. Nec committendum eſt, vt vel ad perpetuos carceres damnati, vel morte demum puniendi, ex ſordibus carceris aeriſque putrida indole ſanitatis vigorem prorſus amittant. Crudele enim eſt, eos ex tali cauſſa morbo exitioſo premi, qui ex alia iam cauſſa in triſtem vitae ſtatum coniiciuntur.

§. 372.

Ex his etiam victus eorum, qui in carcere detinentur, diiudicandus eſt. Licet enim parciora nec

adeo selecta alimenta et potulenta iis concedantur: medici physici tamen, qui curam sanitatis incarceratorum suscipiunt, et tunc, cum tantum pane et aqua nutriuntur, attendant, vt haec vitae miserae sustinendae auxilia bona sint: in morbis autem facile inde obortis eo respiciant, vt inclusis aegris sanitati restituendae conuenientia alimenta porrigantur.

§. 373.

Cum poena corporis afflictiua sit, labores in publica commoda suscipere, vilissimi quidem et aerumnosi labores captiuis iniungantur; videndum tamen, vt corporis viribus aequales sint, vt caussae morborum cum iis coniunctae euitentur, vt ad labores publicos condemnatis vestimentorum, stragularum et aeris puritas, quantum fieri potest, concedatur, quo non tantum laboribus sustinendis pares sint, sed et eum vitae vigorem conseruent, per quem, libertate demum recuperata, valeant, vel vitam sine graui morbo diu agant.

§. 374.

Qui ad vltimum supplicium ducendi sunt, a morbo grauiori liberi sint, quo praesente, poenae dies differendus est. Leuior cephalalgia, dolor dentium, vel his similes morbi, item chronici, vt scabies et venerea lues, hanc dilationem non exigunt, sed, qui cum summo corporis languore, cruciatu et febre vehementi coniuncti sunt, eam omnino requirunt. Perturbatus status animi, mania et melancholia, mortis poenam non admittit: praeterquam enim, quod in his morbis iam aliqua facinoris poena posita est, vera animi praesentia et constantia in moribundo requiritur, vt et poenae grauitatem sentiat, et solatio religionis in vltimo vitae termino fruatur.

§. 375.

§. 375.

Ex hac diſpoſitione animi ii quoque diiudicandi ſunt, qui, ad vltimum ſupplicium ducti, admonitiones miniſtrorum verbi diuini et ſacrorum vſum ſpernunt, qui, niſi medicus in animi ſtatu, per corporis morbos definito, pertinaciae cauſſam inueniat, a ſupplicio non liberantur. Foemina grauida et infantem lacte nutriens, quae ad torturam duci nequit, §. 367. ad alias quoque poenas corporis afflictiuas cogi non debet. Catameniorum autem fluxus idoneam dilationis cauſſam non affert.

CAPVT V.

DE EXCVSATIONVM RATIONIBVS MEDICIS.

§. 376.

Si innocentes accuſantur, defenſore conceſſo, ita ſaepe excuſantur, vt omnis criminis inquiſitio ceſſet. Hoc quidem beneficium et ii ſaepe quaerunt, et obtinent, qui ſceleris ferme conuicti ſunt. Hi enim, cum inquiſitio omnino auerti nequeat, ſeueriori tamen illi per torturam ſe ſubtrahere, vel, ſi tandem puniendi ſint, variis argumentis adductis mitiorem poenam efficere tentant. Etſi vero excuſationis rationes medico phyſicae ex antecedentibus iam maximam partem patent, aliae vero morales ad nos non pertinent, defenſionis tamen ratio paululum a nobis diſquirenda eſt, quo et cauſſarum patroni in ea adornanda, et medici in diiudicando normam quandam habeant.

§. 377.

In defenſione autem rei bene inſtituenda et diiudicanda ad tria potiſſimum argumenta reſpiciendum eſt: vel enim circa cauſſas effectus cuiusdam lethiferi dubitationes mouentur et diluuntur: vel animi et corporis ſtatus in eo, qui facinus commiſit, ſtudioſius disquiritur: vel tandem corporis delicti diſquiſitio et definitio, minus accurate inſtituta, in excuſationem rei conuertitur. In his tamen omnibus nihil fingendum eſt, defenſionis potius rationes ex facti circumſtantiis in actis recenſitis declarandae ſunt.

§. 378.

In relatione cauſſarum ad effectum ad proximam non tantum attendat, ſed ad praediſponentes et occaſionales ſimul reſpiciat defenſor, ideoque oſtendat, non neceſſario ex laeſione principe, ſed ex aliis facti circumſtantiis funeſtum effectum oriri potuiſſe, quae quidem, cum ab accuſato non pendeant, caſum fortuitum, ex concurſu plurium cauſſarum natum, ſiſtunt. Si igitur defenſor plures cauſſas accidentales commemorauit, medicis diſquirendum relinquitur, vtrum hae coniunctae ad cauſſam proximam producendam neceſſariae fuerint, an potius ea tantum quae a violento actu pendet, triſtem euentum induxerit.

§. 379.

Adducantur huius diſquiſitionis exempla. Infans recens natus mortuus eſt, nulla mortis cauſſa in matrem deferri poteſt, ſi oſtenditur, tunc temporis frigus inſigne ſaeuiiſſe, et matrem in via publica infantem in lucem edidiſſe. Haec excuſatio tunc non valet, cum violentiae illatae ſigna in foetu mortuo apparent. Sic inſtrumentum, quo effectus lethifer productus dicitur, vt baculus tenuis, vel granula plumbi

plumbi minora, eum producere non potuiſſe oſtenditur; excuſatio vero ita tantum vim habere poteſt, ſi partes minus nobiles corporis laeſae ſunt: ſi autem locus in corpore, cui vulnus illatum fuit, nobilior ſub minori impetu laedi potuit, v. c. in caluae confiniis, excuſatio dubia eſt, vel nulla.

§. 380.

Si plures cauſſae ad vnum effectum declarandum ſimul concurrunt, definitio cauſſae proximae ſaepe fit difficillima. Tunc ergo defenſoris eſt, omnes ſimul ex actis collectas ita ordinare, vt accidentales, quantum fieri poteſt, tanquam principes appareant, et verus progreſſus ad cauſſam proximam ex his tantum intelligatur. Nam in tali cauſſa et medici, de effectu iudicium ferentes, ſaepe ambigue reſpondent, quod in tanta rerum circumſtantium copia vera effectus ratio declarari nequit: quae quidem dubitatio reum iam ex parte excuſat, et mitiorem poenam reddit.

§. 381.

In excuſationibus, quae ab animi ſtatu ducuntur, cauſſae morales quidem negligendae non ſunt, ſemper tamen et praecipue ad cauſſas phyſicas redeundum eſt. Animi affectus in ſe, vehementius commoti, nunquam excuſant: ſi tamen aliquem ad deliria ſiue ipſam mentis alienationem adegerunt, ſi haec ex actionibus, alio tempore ſuſceptis, et ad delictum non pertinentibus, ſimul declarantur, ſi nulla cauſſa moralis vt praecipua adduci poteſt, ſi quaedam aegroti corporis ſigna, vel in cauſſis, vel in effectibus demonſtrari poſſunt, de melancholico hominis ſtatu dubitari non debet, et actio delirantis euincitur.

§. 382.

Hac in re defenſor, et ii, qui defenſionem diiudicant, ſeriem mutationum in actionibus ſuſceptis ſedulo diſquirant, et ita oſtendant, auctorem alicuius facti, et ante ſcelus perpetratum, et in ipſo actu, et poſt perpetratum facinus, vera melancholiae indicia exhibuiſſe. Quod quidem cum ex actionum moralium nexu vnice diiudicari nequeat, ſigna morboſae diſpoſitionis, in corpore deprehenſae, ſimul colligenda ſunt, quae ex cauſſis et effectibus morborum facile deriuantur.

§. 383.

Faciamus, a matre melancholica ipſius filium occidi. Miſerandus fuit eius animi ſtatus, ob indigentiam rerum, ad vitae conſeruationem pertinentium: macilenta fuit, et atrabiliariis humoribus ſcatuit: antequam caedem fecit, ſigna amoris materni luculenta exhibuit: in actu ipſo, furore quaſi correpta, infantem vehementer laeſit: peracto facinore iterum animo commota impenſe laetatur, quod illud perpetrauerit: tandem ipſa vitae taedium vltimo ſupplicio poſcendo ſignificat. Si praecipua ex his ſignis cognita ſunt, mater melancholiae defenſionem meretur. Alia foemina, quae infantem alius aqua merſit, non abſolui poſſet, cum odium inſigne in matrem infantis ex facti partibus pateat, nec praeterea melancholiae quaedam ſigna, vel in aliis actionibus, vel in corporis diſpoſitione, inuenta ſint.

§. 384.

Saepe res iudicatu difficilis eſt, cum varia quidem ſigna melancholiae detegantur; tamen ex inſtrumenti lethiferi electione, et cunctatione perficiendi facti, e conſilio ſaepius mutato aliisque facti circumſtantiis apparet, reum, ſceleris ſaeuitia intellecta,

nunc

nunc abhorruiſſe, nunc probaſſe: in defenſione tamen euincatur, eſſe melancholicos, qui non niſi vna idea excitata delirent, de reliquo actiones ſano homini conuenientes exerceant, et mente quoque conſtent. Si itaque haec vna et fixa quaſi idea in facti circumſtantiis, vt cauſſa praecipua criminis perpetrati, declaratur, defenſio locum habet.

§. 385.

Tandem corporis delicti minus accurata diſquiſitio et declaratio excuſationis rationes praebet, hae vero tunc tantum afferuntur, cum reliquae facti circumſtantiae rem omni ex parte iudicari non patiuntur. Quod ſi enim, et in cadauere putredine corrupto, certa quaedam violentiae ſigna deprehendantur, quod ſi partium laeſiones natura ſua lethales inueniantur, quod ſi mors ſubitanea ex nullis aliis cauſſis declarari poſſit, certitudo corporis delicti euicta videtur. In hac tamen re defenſoris eſt, omnia, quae rem dubiam reddunt, colligere, quaeſtiones etiam ita formare, vt aliqua defenſionis ratio inde naſci queat.

TRACTATIO III.

DE QVAESTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI.

§. 386.

Praecipuae quaestiones, quae ad hanc tractationem pertinent, versantur in iudicio de diuortiorum rationibus, quatenus ex physicis, inprimis partium generationi inseruientium, vitiis in vtroque sexu deprehensis deducitur, et in aliis de foetu monstroso, viuo excluso, et sacro baptismatis fonte lauando, de quibus omnibus paulo post exposituri sumus, vbi quasdam alias disquisitiones medico physicas, ad forum ecclesiasticum quoque pertinentes, praemiserimus.

§. 387.

Qui sibi ipsis manus violentas inferunt, post mortem non nisi sepultura minus honesta puniri possunt, quae cum familiis quibusdam ignominiosa sit, nec autochiria nisi a delirantibus suscipiatur, ex hac generali ratione omnes forte a medicis defendendi essent. Quoniam vero haec excusatio a magistratu sanctiori non probatur, singulari disquisitione opus est, quae morbos et symptomata antecedentia recenseat, et ex ipsa sectione cadauerum varia suggerat phaenomena, ex quibus melancholicus hominis demortui status abunde declaretur.

§. 388.

In hac re igitur definienda, non solum ad caussas morales, quibus quis ad tristitiam subinde duci potuerit, sed praeterea ad ipsum corporis habitum, signa caco-

cacochymiae atrabiliariae exhibentem, ſpaſmos hypochondriacos, a longo tempore aegrum excruciantes, et ſimilia ſigna reſpiciendum eſt. In cadauere ipſo labes quaedam cerebri cephalaeam chronicam eamque habitualem inducens, v. c. aqua in cauitates cerebri effuſa, tumores et vlcera, in ſubſtantia corticali vel medullari deprehenſa, certiſſima quidem argumenta praebent; attamen et alia ſigna, ex graui labe vel coaleſcentia morboſa reliquorum viſcerum, ex copioſis calculis biliariis, ex ſanguine ſpiſſo et atro deprehenſo deſumta, inter deliriorum, ex pertinaci, licet obtuſo dolore oriundorum, cauſſas referri poſſunt.

§. 389.

Alia quoque a theologis mota, de daemoniacis atque obſeſſis, quaeſtio medicis diiudicanda relinquitur, quippe qui non raro delirium aliquod ex morboſa corporis diſpoſitione oriundum, in hominibus, qui obſeſſi dicuntur, inueniunt. De hac ipſa diaboli in corpora humana efficacia theologorum ſententiae variant, quorum argumenta in vtramque partem nec repetere, nec expendere, nec diſceptare poſſumus: potius deliria ex cauſſis phyſicis declaramus, et ea, quae de ſpectris, incantationibus et id genus aliis ſupranaturalibus corporum mutationibus, vt videtur, dici poſſunt, huc referimus.

§. 390.

Si gratae vel ingratae notiones cum aliqua animi contentione obuerſantur et haerent, imaginatio deprauatur, et corpus ſimul quoad fluidas atque ſolidas partes ita mutatur, vt minus ordinati motus in ſyſtemate ſanguineo et neruoſo oriantur. Idea vero ex odio vel amore, vel ſaepius ex contrariis his animi affectibus, ſibi oppoſitis, et ſaepe ſimul mentem agitantibus

mixta, fixa quaſi redditur. Vti itaque haec animum ſemper verſat, ſic etiam ſyſtema neruoſum irritando corporeos motus, et internos, et externos, ad ſimiles actiones diſponit, ex quibus delirii et melancholiae et maniae ratio reddi poteſt.

§. 391.

Quilibet enim intelligit, ex hac idearum deprauatione ſenſationem fictam deriuari debere, quam illi prae ſe ferunt, qui dolores et ſpaſmos, a ſtimulis internis acrium humorum ortos, incantationibus et diabolicis obſeſſionibus tribuunt, qui diſpoſitiones has morboſas non corporeas, ſed a ſpiritu quodam productas dicunt, qui immediatos quosdam et ſupernaturales influxus, a diuino numine prouenientes, fingunt. Etſi enim in tanta mutationum animi et corporis ſucceſſione non ſemper aptus, et phyſicis cauſſis reſpondens ordo inueniri poteſt, ea tamen, collectis phaenomenis, quodammodo apparet, ſi inprimis, impoſtura, fraudibus et mendaciis vulgi remotis, in phyſicas corporis diſquiſitiones attentius inquiratur.

§. 392.

Quod ſi igitur ii, qui deprauato animi ſtatu laborant, a medico phyſico diſquirendi et curandi ſint, is quidem moralium cauſſarum nexum non prorſus negligat, ſed ſuadendo mutationem loci et obiectorum, aliquam idearum mutationem quaerat. Praeterea vero in cauſſas phyſicas deprauationis fluidarum et ſolidarum corporis partium inquirat, diſpoſitionem morboſam in primis et ſecundis viis mutet, et ita agitationes animi quoque pacatiores reddat. Si vero his ipſis remediis morbum tollere nequeat, teſtimonio exhibito melancholiam pertinacem pronuntiet, et talem aegrum cuſtodiae publicae commendet.

CAPVT

CAPVT I.

DE DIVORTIORVM RATIONIBVS PHYSICIS.

§. 393.

Coniugii finis primarius eſt procreatio ſobolis, ex quo ſolo diuortiorum rationes phyſicae peti poſſunt; mutuum enim adiutorium, quem alterum finem dicunt, et coniugia hanc ob cauſſam inita, conſiderationem medicam non exigunt, ſed ex aliis rationibus diiudicantur. Extinctio libidinis, vt finis tertius, defendi non poteſt, cum ſtimuli veneris nimii et inordinati, in vtroque ſexu, morboſi potius quam naturales ſint iudicandi, et coniugio conceſſo vix reprimantur, ſed ſocietatem vel ex vna vel ex altera parte ingratam ac ſanitati exitioſam reddant. Videndum itaque eſt, an corporis correctione et cura eruditorum medicorum, nec non moralibus rationibus emendari queant.

§. 394.

Quod ſi igitur, contracto iam matrimonio, ex ea cauſſa, quod ab vna et altera parte extinctio libidinis praeſtari haud poſſit, diuortium vrgetur, medici phyſici eſt, in cauſſas inquirere, easque, ſi fieri poteſt, conſiliis et remediis remouere, quo matrimonium ab vtraque parte intra limites ſanitati conuenientes agatur. Si vero cauſſae phyſicae immutabiles ſunt, ex teſtimonio medici, quo metus indicatur, ne, continuato coniugio, vna vel altera pars in morbum exitioſum coniiciatur, a magiſtratu eccleſiaſtico de diſſoluendo coniugio iudicandum eſt.

§. 395.

§. 395.

Impuberum matrimonia rata esse nequeunt; quorum vires cum ad procreandam sobolem minus sufficiant, et praematura venus, excitamentis externis incensa, vtrumque sexum eneruet §. 19. debilitatemque per totam vitam duraturam inducat, haec coniugia amicorum consiliis impedienda sunt, quia magistratus iussu, antequam ineantur, coerceri nequeunt. Valet hoc de impubere foemina, cum marito iam ad pubertatem progresso coniuncta, et vice versa eodem modo, vt de vtroque impubere diximus. Cum autem vigor corporis in vtroque sexu interdum praecox sit, §. 121. anni pubertatis ratione coniugii vix lege certa, v. c. decimo sexto vel vicesimo anno, sed ex hominum conditione definiendi sunt.

§. 396.

De senio accedente idem sentiendum. Postquam foemina quinquagesimum annum, et vir septuagesimum superauit, nullum matrimonium ex physicis rationibus validum est, cum defectus catameniorum conceptionem non admittat, et vigor ad erectionem penis, et bona indoles secreti spermatis vix supersit. Etsi enim quaedam in contrarium notentur exempla, inprimis si iunior maritus vetulam ducat, vel foemina iunior viro seni nubat: praeter rationes morales tamen et physicae sunt, quae eiusmodi matrimonium, si non penitus soluant, tamen dissuadeant.

§. 397.

Et morbi varii enumerari possunt, qui, licet generationis organa non afficiant, diuortiorum tamen caussae existunt; si enim illi commercium amicum turbant, si aliquam nauseam et odium inde ortum inducunt, si contagii vim habent, si ab vna aut altera parte celati sunt, et testimonio medici in-

insanabiles iudicantur, societatem coniugalem dissoluunt. Huc pertinent melancholica et maniaca deliria, etiamsi per periodos tantum reuertantur, praesertim si, ex saeuitia coniuncta, alterutri coniugum vitae et sanitatis periculum imminet, vt, cum ex vehementi odio veneficium tentatum est.

§. 398.

Sed iustae diuortiorum caussae sunt morbi, cum aliqua turpitudine coniuncti, ex quibus vel auersatio vel vera contagii vis pendet. Si enim iam foetor oris, inueteratum malum, quod nauseam creat, et commercium coniugale turbat, diuortii rationem continet: multo magis vera et inueterata lues venerea, nec non scorbutus, qui morbi saepe radicitus tolli nequeunt, vinculum matrimonii soluunt. Morbi leuiores venerei, vt gonorrhea et bubones, scabies, phthisis imminens nec adeo inueterata, curationem forte admittunt, ideoque ad iustas diuortii caussas non pertinent. Conuulsiones habituales simili modo diiudicandae sunt, reliqui etiam morbi ex fundamentis pathologicis declarantur, et vt caussae validae vel minus validae diuortiorum afferuntur. Molestiam morbi, durante matrimonio oborti, vterque coniugum humaniter fert.

§. 399.

Magis attendendi, sunt morbi generationis organis coniuncti. Non omnis hernia, sed ea tantum, quae coitum impedit, caussa diuortii legitima est: monstrosa vero generationis organa semper certo argumento esse debent. Huc referri merentur ea, quae de hermaphroditis obseruantur. In sexu sequio-

quiori clitoris elongata, virilis membri ſimilitudinem, in ſexu potiori defectus teſtium, vel potius eorum in imum ventrem retractio, in ſcroto plicato vuluae ſpeciem habet: quae cuncta accuratior organorum, inprimis orificiorum vrethrae et cunni disquiſitio definit. Sed concedamus, verum eſſe hermaphroditum: is, quod nec vir, nec foemina eſt, ad matrimonium ineundum parum aptus iudicabitur.

§. 400.

In viris ſpeciatim ad ſecretionem ſpermatis et mentulae, ſperma in vterum ingerentis, fabricam reſpiciendum erit. Caſtrati, qui teſticulis priuati ſunt, ſperma prolificum non habent, nec liquor proſtatarum, qui ſub coitu excernitur, ad generationem ſufficit. Monorchides a coniugio non excluduntur, ſaepe enim alterum teſticulum abſconditum gerunt, vel is, qui in ſcrotum propendet, maior eſt, et copia ſpermatis prolifici ſufficiens ſecernitur. Triorchides viribus generationis prae aliis pollere quidem videntur, ſed vt plurimum tertius teſticulus mole minor eſt.

§. 401.

Spermatis excreti bonitas ex conſiſtentia et colore non ita, vt ex effectu, diiudicari poteſt, nimis tamen tenue et aqua quaſi dilutum ſperma verum impotentiae ſignum videtur. Vir mediae aetatis, vel paulo iunior, vegetus tamen et ſanus, ſi ad erectionem penis et excretionem ſpermatis multis irritationibus, et calore externo ſemel iterumque admoto, demum adigendus eſt, coitum vere exercere non poſſe iudicatur. Erectio penis quoque nullo modo praeſtan-

ſtanda, flacciditas ante eiaculationem ſpermatis accedens, imbecillitatem a parte viri indicant.

§. 402.

Mentula virilis, per amputationem prorſus reſecta aut breuior reddita, vel orificium vrethrae non in glande, ſed in alia quadam vrethrae parte, per exulcerationem factum, quae mutatio morborum venereorum malam curationem interdum ſequitur, inde etiam pendens glandis deſtructio, frenuli et praeputii nimia adſtrictio, operatione chirurgica non leuanda, inter veras diuortiorum cauſſas referuntur. Minor vero penis, de reliquo apte conformatus, et qui in cunnum immiſſus rigidus manet, coitum foecundum omnino exercere valet, licet forte inde minus oeſtrum venereum in foemina excitetur. Quod ſi tamen proportio partium vtriusque ſexus euidenter laeſa inueniatur, ad foecunditatis defectum interdum concluditur.

§. 403.

Foemina ſemen maſculinum ſuſcipit, inde foetum concipit, et porro nutrit. Quod autem vitia organorum foeminae internorum, quae ſterilitatem inducunt, vix detegi poſſunt, ad matrimonium apta iudicatur ea, quae virum admittere poteſt. Si vero organa externa vlceribus foedis obſita, et pro parte deſtructa ſunt, ſi poſt curationem male cedentem, vel a naturali diſpoſitione anguſtum, vel prorſus occluſum habet cunnum, ſi arte chirurgica amplior reddi nequit, peruerſus hic partium ſtatus matrimonium dirimit.

§. 404.

§. 404.

His de diuortii cauſſis phyſicis expoſitis, alia quoque quaeſtio de iis adiungenda eſt, qui ad coniugium ineundum cogendi videntur. Qui, facta ſpe matrimonii, dataque arrha, foeminam comprimit, de quo etiam foeminae iudicio conſtat, eum in coitu, mentula in vaginam immiſſa, ſperma eiaculaſſe, is, ſi foetus definito tempore excluſus ſit, vt pater infantis ad matrimonium ineundum cogitur. Sed haec ipſa res, clandeſtina venere peracta, aliis quam phyſicis teſtimoniis eruenda eſt: occurrunt tamen interdum de poſſibili et minus poſſibili ingrauidatione quaeſtiones, quae non in genere tractari, ſed ex phaenomenis in facto occurrentibus diiudicari debent.

CAPVT II.

DE DVBIIS SVPER BAPTISMATE MONSTROSI FOETVS QVAESTIONIBVS.

§. 405.

Monſtroſi foetus vtplurimum mortui eduntur, cum tamen interdum et viui in lucem prodeant, quaedam dubitationes de baptiſmatis adminiſtratione occurrunt. Sic dubius ſexus nominis impoſitionem dubiam reddere videtur. Quod ſi vero ea, quae §. 399. excuſſa fuerunt, ad foetum recens natum applicamus, et inprimis in orificia vrethrae et cunni accuratius inquiramus, facile apparebit, vtrum infans ſexui potiori an ſequiori accenſeri debeat.

§. 406.

§. 406.

Ex homine non nisi homo nasci potest: et licet in foetu monstroso non tantum artus truncatos quasi et deficientes, aut alias quoque partes corporis, vel non praesentes, vel male formatas obseruemus, ita, vt eiusmodi infantes a forma humana multum recedere videantur, in corpusculi tamen accurata perlustratione veras hominis partes primario deprehendimus. His itaque viuis baptismatis beneficium denegari nequit. Si forte monstrum, ex animali bruto productum, ad foetus humani formam accedere videatur, simili modo disquirendum est, semperque ex bestia hominem non nasci posse apparebit.

§. 407.

Cum monstra humana tunc potissimum attendantur, quando capitis aliquam mutationem patiuntur, quando hydrocephalus (i. chir. §. 696.) et caluam et ipsam faciem varie mutat, quando defectus cerebri, vel eius praeternaturalis depressio et peruersus situs deprehenduntur: quaestio saepe subnascitur, an vere animatus foetus sit. Sed si viuit, si respirationem incipit et continuat, baptismatis commodo priuari non potest, nec opus est, huic actui formulam praemittere: Si homo natus est. Et quamquam exempla eorum hominum, qui capite deformi nati sunt, semper declarant, eos, etiamsi vitam diutius protraxerint, stupidos et amentes perpetuo mansisse, nec vires animi vnquam ostendisse, attamen cum maximam vitae humanae partem habeant, iura ecclesiastica et ciuilia illis denegari haud poterunt.

§. 408.

Foetu bicorporeo nato, gemellis, vt saepe fieri solet, in spina vel a latere concretis, vel vno ex alterius ventre quasi propendente, duplex homo omnino iudicandus et duplici nomine insigniendus est. Si biceps foetus est, corpore vno, nec aliis membris duplicatis, capitis dignitas et hinc neruorum origines distincte producti, duplicem hominem, membris quibusdam mutilatis natum esse iure defenditur. Si tandem vnum caput et corpus conspicitur, et partes quaedam, v. c. pes, separatim adhaerent, tunc vnicum tantum hominem, parte quadam abundante, natum esse censemus.

)(

INDEX

Numerus §. indicat.

A.

Abdominis vulnerum lethalitas 204. 313 ſq.
Abortus in grauidis praeſeruatio 20. 23 cauſſae et diſtinctio 222. 224 quatenus a iudice diſquirendus 225 ſq. cauſſae a medico forenſi diiudicandae 227 ſigna 231 ſq. eum mouere an obſtetrici liceat? 233
Acidorum vſus in peſte 85
Aegrorum errores ſui interitus cauſſa 354
Aeris, puritas quatenus a magiſtratu curanda 34 ſqq. commoti vis in caput 274
Aetatum priuilegia 119 ſeqq. aetas ſumma, et ex qua quis abſens pro mortuo habetur 125
Anatome medico forenſi neceſſaria 5
Aortae vulnerum lethalitas abſoluta 298. 338
Aquae puritas quomodo curanda 41 ſqq. aquaeductuum conſtructio 42
Aromatarius vid. Myropola.
Arſenici character ſpecificus 329
Arteriarum, vulnerum lethalitas 201 pectoris laeſionum lethalitas 298
Aſperae arteriae vulnera 294
Autochiri poena et excuſatio 387 ſeq. ei auxilium ferre non infert ignominiam 95
Azygos venae vulnerum lethalitas 298

B.

Balneatorum priuilegia et operatio 60
Balneorum publicorum vſus in republica 48
Baptiſma monſtroſi foetus 405 ſeqq.
Biliferorum vaſorum vulnerum lethalitas 341
Boum peſtis cauſſae et curatio 90 ſeq.

C.

Cadaueris inſpectio et ſectio, eius neceſſitas 161 ſeq. a quibus ſuſcipienda ib.
Caluae oſſium fracturae, earum differentiae 279 lethalitas 278
Canes an peſtis tempore occidendi? 89
Capitis ſectionem legalem inſtituendi modus 286 ſeqq. vulnerum lethalitas 274 ſeqq. horum differenti-

rentiae 279 symptomatum ratio 284 infantilis laesiones 269 seq.
Captiuorum labores et vitae ratio 372 373
Carcerum aeris ope ventilatoris renouatio 37 vt poenae afflictiuae consideratio 371
Carnium censura a magistratu habenda 40
Carotidis eiusque ramorum vulnerum lethalitas 291
Cauae venae vulnerum lethalitas 298. 338
Cerebri et cerebelli laesionum lethalitas 203. 281 sq.
Certitudo facti physico-medica, quomodo cognoscenda 153 seqq.
Chemiae in medicina forensi vtilitas 6
Chirurgi, munus, in quo consistat 57 praecipua requisita 58 ex iis praestantissimus medico physico adiungitur 59 sostrum vid. sostrum. officium in sectione legali 172. 183 ad hoc iuramento adstringitur 173. 186 testimonia quid concernere debeant 131 castrenses, quibus sub conditionibus ad praxin medicam admittendi 56 chirurgorum status in Gallia 61 errores quomodo iudicandi 353
Coemeteriorum in vrbibus noxa 96
Cor, eiusque caua et vasa in foetu quomodo disquirenda 247 eius vulnerum absoluta lethalitas 201. 296
Coria demortuorum animalium an detrahenda? 92
Corpus delicti quid? 154 quomodo et a quibus constituendum 155. 158 seqq. interdum incertum et dubium manet 189 seq.
Criminis inquisitio quomodo instituenda 154
Cuticula a cute sponte secedens, putredinis signum 181. 240

D.

Daumenstöcke vid. Pollestrum.
Defensionis rationes vnde petendae 377 a relatione caussae ad effectum 378 seqq. ab animi statu 381 seqq. a corporis delicti neglecta disquisitione 385
Defensoris officium in casu lethalitatis 210
Dentium morbis prospiciens medicus constituendus 62
Diaphragmatis vulnerum lethalitas 311 seq.
Diuortiorum rationes physicae et caussae 393 seqq.
Dolores, ad partum quatenus infanticidam excusent 237 in tortura vehementes excitandi 359
Ductus thoracici vulnerum lethalitas 204

E. Eccle-

E.

Ecclesiastici iuris quaestiones physico - medicae 386 seqq.
Emmenagoga medicamenta, eorumque actio 229 seq.
Encephali laesionum lethalitas 203
Excusationum momenta medica 376 seqq. a morbo petenda 133 seq. a relatione caussae ad effectum 378 seqq. ab animi peruerso statu 381 seqq. a corporis delicti neglecta disquisitione 385
Extensio super scalam, torturae modus 363
Extrauasatio sanguinis in basi caluae et cauis cerebri absolute lethalis 282 eam disquirendi modus 287 in cerebro infantum absolutae lethalitatis caussa 269
Extremitatum vulnera eorumque lethalitas 346 seq.

F.

Facti distinctio in attentatum et absolutum 187 auctor, quando a medicis detegitur 188
Fidiculae quid, easque applicandi ratio 362
Foeminae, cur iis curator constituendus 123
Foetus septimestris et octimestris an vitales censendi 111 nonimestris vitalitas interdum dubia 113 quando animatus, vel vitalis assumendus? 223 in vtero mortui signa 240 seq. mortui dissectio et eductio 234 viuum an dissecare liceat ib. in vtero an respirare possit? 250 seq.
Fructuum horaeorum immaturorum noxa 40
Frumenti cura a magistratu habenda 39
Funes torturae modus, vid. Fidiculae.
Funiculi vmbilicalis ligatura an necessaria? 257 ruptura 258 compressio 262 vasa arteriosa haemorrhagiam lethalem inferunt 260
Furiosorum cura a magistratu suscipienda 49

G.

Gemellorum primogenitura 118
Generationis organorum vitia diuortii caussa 399
Grauidarum priuilegia 99 sq.
Grauiditatis ex venere clandestina cura et obseruatio 21 a quibus et quo modo instituenda 22 celatae signa et disquisitio 24 seq. signa interdum fallacia 101 seq. ignorantia, quousque infanticidam excuset 236

H.

Haemorrhagia lethalis a funiculi vmbilicalis neglecta deligatione 258 seqq.

Hepatis vulnerum lethalitas 204. 339 ruptura 340
Hermaphroditi ad coniugia inepti 399
Herniae, quatenus diuortii caussa 399
Historiae naturalis vsus in medicina forensi 7

I.

Imaginationis maternae vis dubia 20
Impotentia vtriusque sexus 399 virilis in quo consistat 400 seqq. foeminina 403
Impuberum matrimonia sunt impedienda 395
Incantationum rationes physicae 389 seqq.
Infans nasciturus et neonatus, eius cura 17 seqq. infantum laesiones vtplurimum lethales 267 capitis laesiones 269 seq.
Infanticidium 220 seqq. eius disquisitionem instituendi ratio 239 seqq. caussarum examen eruendi modus 265 seq.
Inspectio cadaueris, quando et a quibus instituenda 162 ea sola interdum sufficit, 163 quomodo instituenda 174 ad eam pertinentia monita 182
Integumentorum abdominis vulnera 315
Intercostalis nerui vulnerum lethalitas 292 arteriae vulnerum lethalitas 299
Intestinorum vulnerum lethalitas 204 320 seqq. discissio plenaria 323
Iudicis in sectione legali praesentia cur necessaria? 171
Iugularis internae venae vulnerum lethalitas 291
Iurisprudentia medica quid? 9

L.

Laesiones morborum et mortis caussae 192 seqq. earum varii gradus 198
Lethalitatis idea 195. 197 distinctio 199 absoluta in quo consistat 200 seqq. eius gradus 208 accidentalis ratio et caussae 211 seqq.
Lienis vulnerum lethalitas 339 rupturae lethalitas 204. 340
Lithotomi constitutio probatur 62
Lupanarium noxa et prohibitio 47

M.

Magia naturalis 333
Magistratus cura, in suspicione grauiditatis 21 seqq. in infantes derelictos et petulantes 32. 119 in ordinandis caussis sanitatis publicae 33 seqq. circa frumenta et esculenta 39 seq. circa potulenta 41 seqq. 45 seqq. in ordinandis conualescendi subsidiis 50 sqq. in morbis contagiosis 72 seqq. in peste 78 seq. 81 seqq.

81 seqq. in peste boum 90 seq. in mortuos 93 seq. mutilatos homines remoueat 20
Matrimonium, eius finis 339 impuberum 395 senum 396
Medendi inepta ratio quousque excuset 348 seqq.
Medicamenta arcana an interdicenda 70 seq.
Medicastri a praxi medica sunt interdicendi 55 a chirurgica 59
Medicina practica quotuplex 1 forensis quid? 9 eius ambitus 2. 8 praesupposita 3 seqq. conspectus 14
Medici, in republica constitutio et officium 50 priuilegium 51 peregrini et docti a praxi medica interdictio improbatur 52 sitne eius medicamenta distribuere? 69 pestilentialis constitutio et officium 86 officium in legibus interpretandis 98 testimonia conficiendi ratio 130 ius in sostro exigendo, oborto concursu creditorum, 149 in curatione laesionis violentae attentio necessaria 159 sectionem legalem dirigentis officium 172. 183 seqq. iuramento ad illud adstringuntur 173 de sectione relatio quomodo elaboranda 186 forensis officium in curatione vulnerati 215 seqq. ratio medendi quatenus excusanda? 350 seq.
Medullae spinalis destructio lethalis 203 compressio lethalis 288
Melancholia, eius cura a magistratu habenda 49 quatenus cognoscenda et a morte liberat. 383 seq. eius ortus et caussa 390 seq. curatio 392
Menyngis durae laesiones 280 piae laesiones 281
Mesenterii vulnerum lethalitas 337
Monstra an inter partus legitimos referenda? 115 seq. an baptizanda 405
Morbi simulatio 127 dissimulatio 128 vtraque quomodo cognoscenda 137 quatenus excusent 133 seqq. quatenus a supplicio mortis liberant 374 varii matrimonium soluentes 397 seq.
Mors subitanea, quatenus absolutam lethalitatem indicet 206 eius determinatio, ex duobus qui prior mortuus sit? quomodo instituenda 138
Mortuorum cura 93 quorundam cadauera inspicienda et secanda sunt 94 seq.
Myropolarum constitutio et officium 64. 68 horum tabernae visitentur 65 quaenam ab iis simplicia vendi licet? 68

N.

Neruosi systematis vulnerum lethalitas 203. 292
Nosodochia publica cur instituenda 76

O.

Obsessorum status quatenus in corpore lateat 389 seqq. curatio 392
Obstetriciorum medicorum constitutio et requisita 30 norma 31 iis abortum mouere an liceat 233
Obstetricum constitutio 27 sqq. institutio et officium 29 norma 31 errores quomodo iudicandi 353 obstetrices medicamenta non exhibeant 63 testimonia quatenus exhibere possunt 132
Ocreae hispanicae, torturae modus 363
Ocularii medici constitutio probatur 62
Oesophagi vulnerum lethalitas 293
Omenti vulnera 316

P.

Paludum exsiccatio 35
Paris vagi vulnera 292
Partus legitimi tempus 104 eius quoad menses varietas 105 septimestris et octimestris an pro legitimo habendi 107 seq. praematuri signa 108 serioris exempla dubia 109 seq.
Pericardii vulnera 297
Pestis, a quibus curanda? 78 eius in suspicione quomodo agendum 79 ea affecti nautae in portum non recipiuntur 80 huius tempore limites figuntur 81 pestiferum halitum excipientes merces comburantur 82 contagium atmosphaeram aeris vniuersalis non imbuit 83 eam coercendi remedia ib. ea demortui sepeliantur ib. in ea victus ratio 84 eius signa et remedia 85 ea affectae domus signo notantur 87 ea cessante qualis cura adhibenda 88
Pharmaceuticae officinae quomodo instruendae 67
Pharmacopoei constitutio 65 examen 66 quaenam medicamenta ii soli vendant 68 quousque ad praxin medicam admittendi 56 ii a curatione morborum interdicendi 71 quatenus testimonia exhibere possunt 132 eorum taxa 147
Philtrorum effectus 334 seq.
Phrenici nerui vulnera 292 297
Physici medici constitutio et officium 53
Physiologiae vsus in medicina forensi 4
Poenae afflictiuae corporis 371 seqq.
Polletrum, torturae instrumentum, eiusque applicandi ratio 361
Polygamiae noxa 19

Portae venae vulnerum lethalitas 338
Primogeniturae ius in gemellis 118
Pubertatis in vtroque sexu signa 20 seq.
Pulmonum et pulmonalium vasorum vulnerum lethalitas 300 foetus disquisitionis modus 246 in aqua subsidentium aut natantium experimenti ratio 248 seqq. vsus 249 circa hunc controuersiae 250 sq.
Puerperii signa 239
Purgantium vsus et abusus in grauidis 228
Puteorum exstructio, circa hanc monita 44
Putredo certum mortis signum 97 signum foetus in vtero mortui 240 seqq. in cadaueribus legaliter secandis praecaueatur 180 eius effectus in iisdem 181 an experimentum pulmonum fallax reddat 253

R.

Renum vulnerum lethalitas 342
Respiratio, eius organorum laesionum lethalitas 202 foetus an in vtero incipiat 250 seq. foetus exclusi quomodo iuuanda 254
Rupturae vasorum absolute lethales 338

S.

Sectio cadaueris, quando et a quibus facienda 162. 171 seq. eius necessitas 164 seqq. vtilitas in defensione rei 167 seq. 170 in definienda vulnerum lethalitate 169 ad eam quales sint eligendi 173 eam instituendi modus et ordo, et quae in ea annotari merentur 174 seqq. ad eam pertinentia monita 182
Senes a muneribus in republica non excludendi 124 horum matrimonia sunt dissuadenda 395
Sensuum externorum vsus in constituendo corpore delicti 157
Sepultura in templis noxia 96 non nimis cito suscipienda 97
Sostrum medici iure postulant 139 seqq. illud definiendi modus et difficultas 142 normae 143 seq. chirurgi, eius norma 146 quatenus chirurgis et pharmarcopoeis pro curatione morborum concedendum 150 medicastris denegatur ib.
Spirituosi potus noxa 45
Submersis auxilium ferendi modus 306
Suffocationis varii modi et signa 301 seqq. in aqua factae signa 304 seq. infantum signa 261. 308 seq. a compresso funiculo vmbilicali 262 a respiratione cohibita 263
Sugillationes infantum a par-

partu difficili 268 ſignum infanticidii 244
Superfoetatio negatur 118
Suppoſititii foetus diſquiſitio et diiudicatio 117
Suſpenſi ſigna 307

T.

Teſticulorum laeſiones 344
Teſtimonia de morbis non niſi a medicis iuratis exhibita probet iudex 129 medica quomodo comparata eſſe debent 130. 218 ſeq.
Thoracis vulnerum lethalitas 295 ſeqq. 309 ſeqq.
Torturae vtilitas et ratio 356 ſq. 359 quousque adhibenda medicus iudicare debet 358 modi in foro Saxonico recepti 360 ſqq. gradus 364 ſeq. quinam ab ea liberi iudicandi 367 ſeqq.
Trepanationis neglectus in vulneribus capitis 285

V.

Variolarum inſitio an a magiſtratu iuuanda 74
Vaſorum maiorum laeſionum lethalitas 201 rupturae lethalitas 205 vacuitas in infantibus quid indicet 245 coquinariorum cura 40
Venarum maiorum laeſiones abſolute lethales 201
Venaeſectionis vſus et abuſus in grauidis 228
Veneficii diſquiſitio quomodo a medico forenſi inſtituenda 331 ſeqq.
Venena cauſſa abſolutae lethalitatis 205 horum effectus 324 ſeq. acceptorum ſuſpicio quando oritur 325 ſeq. iis demortuorum cadauerum ſigna 327 in cadaueribus inuentorum diſquiſitio 329 horum actio interdum relatiua 330
Venerea lue affecti in noſodochia deportandi 75
Veneris inordinatae noxa 19
Ventriculi vulnerum lethalitas 204. 317 ſeqq.
Veritatis eruendae rationes 356. ſeqq.
Vertebrarum fracturae 289 ſeq. in infantibus dimotio abſolute lethalis 290
Vini mangoniſatio quomodo detegenda et punienda 46 vſus in peſte 85
Viſum repertum quid? 157
Vitae abſentium terminus quando ponendus 125
Vitalitas foetus ex quibusnam ſignis aeſtimanda 112 foetus nonimeſtris dubia 113
Vrinariae veſicae vulnera 343
Vteri grauidi priuilegia 99 ſeqq. vulnerum lethalitas 345

ELEMENTA
MEDICINÆ, ET CHIRURGIÆ
FORENSIS.